

05

A

1057



25
22

EXE GESIS

Dicti Paulini Rom. 3. 24. 25.

De

JUSTIFICATIONE,

Quam

sub gratiosis veri & unici ΙΑΑΣΤΗΡΙΟΥ auspiciis

PRÆSIDE

VIRO

Plurimum Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo

DN. WILHELMO LYSERO


SS. Theol. D. & Prof. P. celeberrimo, Dn. Pro-
motore & Præceptore suo omni observan-
tiæ cultu æternum prosequendo.

Publicæ disquisitioni submittit

M. JOHANNES CHRISTOPHORUS SELDIUS

Franc. Fac. Phil. p. t. Adjunct.

Ad diem 4 Junij In Auditorio majori.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

Anno clæ lō C XL.



TESTIFICAZIONE

EYE CESS

IO LASERO



05 A 1057

Typis Johannis Kohnen et Acad. Typogr.





PROOEMIUM

*In quo hypotheses quaedam, sequenti didactica & polemica
Exegesi substernenda, praemittuntur & prae-
muniuntur.*

§. 1.

 Rthodoxiam gravissimi de JUSTIFICA-
TIONE Articuli, Ecclesiam ab omnibus Pha-
risaeorum & Epicuræorum synagogis discernen-
tis, asserturo, ejusmodi è S. Scriptura locus eli-
gendus venit, in quo *Justificationis processus* non
incideret, partialiter, atq; à posteriori, verbis
non semper nobis æquè perspicuis attingitur &
reperitur; sed ubi tanquam in sede cardinali *justa* Causarum Ju-
stificationem ingredientium Categoria constituitur, adeoq; ex
instituto, à priori verbis simpliciter & propriè intellectis proponi-
tur, juxta cujus normam & dictamen reliqua loca parallela expli-
cari, conciliari & dijudicari queant; monentibus post *August. lib. 2.
de Doct. Christ. c. 8. B. Chemn. in Lib. de Fund. Cæne cap. 2. item part.
1. LL. in hypomn. n. 2. Flacio part. 2. clar. tract. 1 n. 28. B. Huttero
in LL. Art. 29. part. 2. p. 925. B. Meisnero part. 2. Philos. sobr sect. 2.
c. 2. q. 19. Quibus addi potest è Papistis Salmero Tom. 1. Proleg. 9.
Can. 32. Greg. de Val. t. 1. q. 1. punct. 5. §. 3. & in analysi fidei Cathol.
part. 8 p. 358. E Calvinistis Chamier. tom. 1. Panstr. lib 16. c. 4. Vossius
in prefat. Histor. de Controv. Pelag. E Photinianis Socin. in fragment.
de justif. m. V. Smalc. in Resp. ad Franz. D. 3. p. 72. & lib. de V. D.
Filio Diss. 13 p 120. Ex Arminian. post Arminin. in c. 7. Rom. part. 3.
Remonstrantes in Confession. c. 1. n. 14. & 16. Item in Apolog. c. 1. sect. 13.
& 14. p. 32 & cap. 16. p. 36.*

§. 2. Hujusmodi vero Cardinalem sedem, in qua totum Justi-
ficationis negocium ex professo & perfectè quoad omnes causas
evolvitur, præter *Epist. ad Galat* eam, quæ Romanis inscripta est,

cap. 3. v. 24. & 25. exhibere evincitur I. ex scopo totius Epistolae: Hic
 etenim est non tantum demonstrare, quod nemo justificetur sine
 fide in Christum, & sine Dei misericordia gratuita, sicut contendit
Bellar. l. 1. de Justif. c. 19. sed insuper quod gratia Dei sola, Christi
 merito solo & fide in Christum sola sine operibus homo justifice-
 tur. Nec enim Apost. negotium erat cum iis qui nondum ad
 Christum conversi operibus absq; gratia factis justificari satage-
 bant, sed cum Judæis & gentilibus, qui per Evangelij prædicatio-
 nem in Christum crediderant, fatente Estio in Arg. hujus Epistol.
 quod etiã ex infra dieendis *memb. 2.* patebit. Vid. interim *Act 15 v. 1.*
5. & 11 Gal. 2. 16. II. *ex analysi generali;* sive informetur cum qui-
 busdam, juxta tria conversionis membra, qualia sunt *contritio, fi-*
des & quæ hanc comitatur, *nova obedientia;* sive cum aliis intuitu
 trium virtutum Theologicarum *fidei, spei & charitatis,* sive cum re-
 liquis per analogiam ad partes medicinæ, *spiritualem morbum, re-*
medium & dietam, quacunq; ,inquam, ratione analysis instituatur,
 istud tandem confectarium erit, *Art. de Justificat.* tractari hîc ex in-
 stituto. III. *ex analysi speciali cap. 3.* Postquam enim in *capp. præ-*
sedentibus exordium sumserat *Apost.* ab humani generis contagio,
 peccato scil. ira & maledictione Dei, ostensa latitudine peccati tum
originalis, huic ex æquo Gentiles & Judæos obnoxios esse, tum
actualis, cujus vicissim reos utrosque arguerat non minus in specie
 atq; in genere, ratione singulorum præceptorum, tum positivè,
 tum privativè *c. 13. v. 13.* non tantum ratione prævaricationis, sed
 etiam reatus *v. 19.* adeoq; hominem justificandum ad gratiam &
 remissionem peccatorum, juxta universale Christi mandatum, præ-
 paraverat remoto tum Pharisaismo, tum Epicureismo; infert tan-
 dem conclusionem principalem, ex prædemonstratis: *Omnes ho-*
mines justificantur fide aut operibus: sed nullis operibus, ut hætenus
 evictum. E. *fide absq; operibus.* Qua occasione justitiam fidei (1.) de-
 scribit ab *efficientibus & subjectis v. 21. 22.* (2.) ejus catholicismum
 seu *universalitatem* tum temporis, tum suppositorum adstruit, quod
 semper viguerit, & omnibus quotquot justificati fuerunt, eadem
 justificatio contigerit, sive, quod illa ipsa justificandi ratio fuerit
 Patriarchalis, Mosaica & Prophetica: *ib. v. 21. 22. 23.* (3) illustrat
inductione omnium causarum: 1. efficiente principali, misericordia
 Dei

Dei gratuita v. 24. τῆ αὐτῆ χάριτι, δωρεάν : cui opponuntur vires post lapsum residua, ante vel in iustificatione. 2. *meritoria*, quæ est Christi satisfactio, v. 25. διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως v. 25. ἰλασθῆριον, cui opponuntur merita tum congrui tum condigni. 3. *instrumentali* à parte nostri quæ est fides v. 25. διὰ τῆς πίστεως, cui opponuntur propria merita. 4. *materiali* s. subjectiva quæ est homo iustificandus v. 24. δικαιούμενοι. 5. *formali* s. subjectiva, quæ est non imputatio s. remissio peccatorum & imputatio iustitiæ v. 25. διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἀμαρτημάτων, cui opponitur iustificatio ex proprijs. 5. *finali* à parte Dei, quæ est ostensio iustitiæ v. 25. πρὸς ἐνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτῆς : Quam analysin v. 24. 25. suppeditat. Rev. plur. & Excell. Dn. D. Præses in diss. de Aæ. Conf. antiquitate An. 1632. 19 Jun. habita IV. ex confessione Adversariorum Fatetur hoc è Pontificijs Salmero Tom. 13 Diss. 27. p. 374. Greg. de Val. T. 2. Diss. 7. q. 6. punct. 3. Cornel. à Lap. in b. l. v. 25. Estius ib. & in Arg. Epist. ad Ebraeos. E. Calvin. Piscator, Pareus Comment. b. l. Chamier. Tom. 3. Panstr. l. 21. c. 2. §. 16 Nec diffitentur Photiniani Socin, Smalcius, Volkelius infra memb. 2. citandi.

§. 3. Hisce præmissis ad hujus classici loci v. 25. & 24. explanationem progredior & singula, quæ vel ad διδασκαλίαν vel ad ἔλεγχον pertinere videbuntur, tribus membris includere conabor: *Primum* asseret nativum sensum ἐκ τρέψεως λέξεως & πραγμάτων: hoc est è genuinis interpretandi adminiculis & medijs, cujuslibet termini expendet, tum *materiale* sive articulationem, flexionem & variationem, collatis Syra, Latinis & vernaculis versionibus; tum *formale* sive significationem è scopo ex contextu, antecedentium & consequentium scrutinio, ex parallelismo ex oppositione, ex proprio Adversariorum testimonio determinandam. *Secundum*, sensum è veris interpretandi principijs assertum vindicabit à corruptelis recentiorum hæreticorum, indigita subindetalium corruptelarum origine & occasione s. γενέσει quæ viam planiorem & tutiorem ad ἀνάλυσιν aperiet. *Tertium*, locum apparenter contradictorium conciliabit. Sit ergo Duce & Auspice eo, qui factus est nobis sapientia à Deo & iustitia & sanctificatio & redemptio

MEMBRUM I.

*Continens genuini sensus ἐν τῷ πρώτῳ λέξεως & πράγματι ἁφῆσιν
assertionem.*

S. 4. Δικαιούμενοι. Syrus ⲛⲓⲣⲓⲛⲓⲛⲓ à themate ⲛⲓ quod in *Peal* significat justus fuit *Phil.* 1. 7. in *Pacl* transitive, justificavit justitiam exercuit, declaravit, justum pronunciavit *Luc.* 7. 29. *Cap.* 10. 29. c. 18. 14. in forma, passiva *Ethpacl*, uti *Mafius*, *Waserus* *Jesferunt*, rectius *Ethpaal* ceu *Buxtorfius*, *Amira* & *Lud.* de *Dieu* pronunciant, ⲛⲓⲛⲓ justus reputatus, declaratus quit: *Rom.* 4. 2. c. 5. 9 *Jac.* 2. 21. 25. 1. *Tim.* 3. 6. à qua passiva forma deducitur participium praesens, quo usus est *Syrus* h. l. *Erasm.* justificantur. *B. Luth.* werden gerecht: Participium enim praesens sine verbo substantivo vices praesentis indicativi subit, ut notat *Hyperius lib.* 2. de *Rat. studij Theol.* c. 9. & , cujus fere vestigia legit *Flacius in cl. part.* 2. tract. 3. è *Flacio D. D. Glas.* lib. 3. *Philol. tract.* 4. can. 4.

S. 5. Significat autem h. l. terminus δικαιῶσθαι non justitiae infusionem sive realem qualitatum immutationem & physicam alterationem, vel in terprete *Concil. Trid. ses.* 6. c. 4. translationem ab eo statu, in quo nascitur homo filius Adae in statum gratiae & adoptionis filiorum Dei per secundum Adamum Jesum Christum, ut contendit *Bellarmin.* lib. 2. de *Justif.* c. 3. *Salmero l.* §. 2. c. *Perer.* in *Rom.* 3. *disp.* 8. *Cornel.* à *Lap.* & *Estius* in *Com.* sed rationalem sive judicalem & forensam absolutionem, adeo ut justificari Apostolo nihil aliud sit quam peccatorem coram rigidissimo Dei judicis tribunali constitutum & ad ἰλασθῆναι confugientem ab impenitata injustitiae & culpa & poena absolvi atq; sic justum pronunciari. Hujus significationis veritas adstruitur 1. ex antecedentium & consequentium collatione. Totus enim justificationis processus describitur per formulas judiciarias hinc inducitur *Reus Rom.* 3. 19 *Testis c.* 2. 15 delinquens ὁ ὀδὶν & *Jes.* c. 3. 19. conscientia συμπαρηγοῦσα c. 2. 15. 2. ex opposuione: opponitur enim (tali noemati quod nullo modo inhaerentem s. intrinsecam qualitatem notat) condemnationi *Rom.* 5. 16. c. 8. 33. 34. quibus in locis forensam significationem concedunt *Salmer Tom.* 13. lib. 21. *Disp.*

L. 1. Diss. 9 p. 96. Est in comment. ll. cc. & Johanne à Gorcum Estij &
 Cornelij à Lap. Epitomator, in Rom. 8. 34. 3. ex aequi pollentium. 5.
 pbraſium in ſeqq. cap. frequentatarum permutatione; Idem dicitur
 & dicitur D. Apoſt. reddit cap. 4. per imputari ad juſtitiam, in quo cap.
 imputationis vocem decies inculcat C. 5. v. 19. exponit per conſti-
 tui juſtū propter obedientiam Chriſti c. 10. v. 9. & 13. per ſalvum fi-
 eri Nec enim negare licet, τὸ *Salvare* etiam forenſe aliquid re-
 dolere, quippe quod ſignificat aliquem captivum ab hoſtibus &
 in priſtinam libertatem aſſerere, vel etiam quovis modo intere-
 untem ab interitu vindicare Vid. Flac. part 1. cl. voce juſtitia. Quo
 quidem termino (δικαιοσύνη D. Paulus frequentiffime uſus eſt,
 non obſtante quod reliquorum Apoſtolorum vocabula ſynony-
 ma (ſalvare, remittere peccata) notiora videantur; iſto enim ma-
 gis emphaticè perſtringi poterat tum Phariſaiſmus, tum Epicu-
 reiſmus Vid. B. Chemn. L. de Juſtif. c. 1. Item in Exam part. 1. p. 132.
 4. ex aliarum linguarū inductione: Nullibi enim vel Ebraeum ^{פְּרָטִי} 4.
 ut ex Ebraearum, vel Græcum δικαιοσύνη ut ex Græcarum con-
 cordantiarum evolutione patet, realem & phyſicam qualitatum
 alterationem ſed ſubique juſtitiarum abſolutionem, declaratio-
 nem, juſtitiae teſtificationem denotat Vid. B. Chemn. l. c. c. 3. Flac.
 l. c. voce juſtitia. B. Balduin. in Comm. b. l. q. 3. B. Meiſn. dec. 3.
 Anthrop. Diſp. 24. q. 3. B. Gerhardi T. 3. c. 1. Praeclarif. D. D. Martin
 Praecept. meritifs. ſyſtem. Theol. Coll. 3. Diſp. 17. Pare. in com. b. l.
 Hinc Chamier Tom. 3. l. 21. c. 14. §. 17. Audacter dicam, non poſ-
 ſe proferri ullum locum ex tota Scriptura, ubi id verbi ſignificet
 efficere juſtum; quo ſenſu dici vult Bellar: 5. ex Patrum teſtificati-
 one: quamvis enim in propatulo ſit Patres, præſertim Latinos po-
 ſteriores aliam à forenſi ſignificationem huic verbo tribuere, par-
 tim ob imperitiam τρώπῃ λέξεως ſ. idiotiſmi linguæ ſacræ; unde
 arceſſenda erat; partim ob defectum τρώπῃ πρᾶγμα, reſul-
 tantem ex inadæquato fidei & gratiæ juſtificantis conceptu; ex-
 translatione bonorum operum in Art. de Juſtificatione, ex ejus-
 dem inflexione ad diſputationes & hypotheſes philoſophicas ne
 Eccleſiæ doctrina gentium Philoſophis videretur nimis abſurda,
 & quod caput rei eſt, ex confuſione Legis & Evangelij adeoq; ex u-
 nici ἄλαςηρίσ ignorantiā à qua nequidem popularem ſuum Hierony-
 mum eximit Flacii. in Praefat. partis 1. Clav. forenſem tamen ſigni-
 ficationem

ficationem amplectuntur, quoties se quasi coram tremendo Dei
tribunali & iudicio sistunt. Loca vid. à BB. Chemn. Exam part. 1.
132. & Gerbaro II. cc. adducta.

§. 6. Δωρεάν. Syr. ܕܘܪܥܝܢ coincidit & articulatione & significa-
tione cum Chald. ܕܘܪܥܝܢ Vulg. Eras. gratis, Fungitur h. l. officio par-
ticulae exclusivae excludentis, non sola merita, ut contendit Salmer.
in b. l. p. 372. Cornel. à. Lap. p. 57. sed etiam nostras dispositiones
(spei timoris, doloris de peccatis admissis, propositi novi de vita
emendanda) praevias ad justificationem adeo ut justificatio no-
stra gratuita Dei peccata remittentis misericordiae soli vindice-
tur. Hanc acceptionem probo 1. ex antecedentium & consequen-
tium comparatione; Idem enim Apost. dicit voce δωρεάν, quod
supra v. 21. dixit, sine lege; infra v. 27. non per legem operum,
v. 28. sine operibus v. 28. ἐξ ἐλευθερίας. 2. ex usitata vocis significa-
tione; quae excludit 1. pretium Gen. 29. 15. 2. justam causam Psal.
69. 5. 3. meritum 1. Sam. 19. 5. Atqui tria ista singula D. Apost.
excludit. 1. pretij interventum scil. à parte nostri 2. justam causam
gratia s. favoris gratuiti; convicerat enim haecenus & Gentiles &
Judæos causae injustissimae, injustitiae vid. & originalis & actua-
lis. 3. compensationem & meritum non omne quidem sed à parte
hominum justificandorum Gentilium & Judæorum: Utrosque
enim meritis suis gratiam & justitiam fidei certatim quasi adscri-
pisse patet ex variorum in hac Epist. occurrentium locorum col-
latione: Vid. Hos (Judæos) regalia & axiomata sua allegasse, se
esse populum à Deo jam pridem in peculium electum, sibi non
gentilib. legem & iudicia esse contredita. Illos (gentiles) contra
majorum fortiter & sapienter gesta extulisse. 3. ex equipollenti-
um inductione. Vid. B. Chemn. p. 1. Exam p. 165. 4. Ex hypotesi
Salmeronis: Gratis, inquit, T. 1. prol. 16 pag. 318. proprie significat id
quod liberaliter & sine ullo pretio & sine ullo nostro merito: Si sine
ullo merito; utique sine merito congrui & absque intuitu ista-
rum praeparationum.

§. 7. Τῆ ἀνίστα χάρις, Syrus ܕܘܪܥܝܢ Hac enim & alijs à
them. ܕܘܪܥܝܢ descenditibus dictionibus circumscribere solet gra-
tuitum & indebitum Dei favorem. Conf. Rom. 4. 4. 6. 6. 7. Pet.
5. 12.

§. 12. 1. *Cor.* 1. 4. Unde non habet *Spanheim Dub. Evang.* 23. p. 179. cur Versione Syriacam *Luc.* 1. 28. ubi τὸ κεχαρισμένη legitur redditum per טיבותא ליהא à gratiæ infusæ & habitualis patrono depravatam esse suspicetur. Additur præformativum γ quod uti in *Ebraea* ita in *Aramæa* lingua potest esse characteristica omnium causarum. *Vulg.* minus concinne; per gratiam ipsius. *Beza*, gratia ipsius *B. Luth.* ut exprimeret characteristicam efficientis principalis; aus seiner Gnade. *Holshay Jesuita* in tract: Gestalt von der Rechtfertigung §. 5. Durch seine oder mit seiner Gnade: deceptus à *Vulg.* quasi vocabulo χαρισί exprimeretur justificationis forma: cujus versionis falsitas ex jam dicendis apparebit.

§. 8. Accipitur verò *Gratis* h. l. 1. non pro donis renovationis, quæ gratiæ acceptio frequens est 1. apud *Patres post August.* adeo ut de gratia justificationis vel nihil vel parum audiatur 2. ap. sequentis ætatis *Scriptores*. Certamine enim *Pelagiano* jam sublato, posteritas minus attente talium dictorum causas & occasiones considerans, arripuit istam *Gratiæ* significationem, eandemque conatu & eventu æque infelici in *Justificationis* Artic. invexit, primariam verò planè exulare jussit. 2. non pro dono habitus divini nobis infusi & merito *Christi* nobis parti, sicut gratiam justificantem post *Concil. Trident* definiunt *Salmer. Tom.* 13. *Disp.* 27. in *Rom.* 3. p. 372. *Bellar. l.* 1. de *Gratia* c. 3. *Greg. de Val. T.* 2. *disp.* 8. q. 3. p. 1. *Cornel. à L.* in *b. l.* sed pro sola gratuita *Dei* bonitate, indebito favore & benevolentia *Dei* qua *Deus* non operum & dignitatis sed ἀπολυτρόσως & ἰλασῆς intuitu credentibus peccata remittit & justitiam *Christi* imputat.

§. 9. Hujus acceptionis veritas & simul *Papisticæ* falsitas evincitur I. ex contextu. Talis enim significatio est admittenda, quæ consistere potest 1. cum termino δικαιέμενοι, prout connotat absolutionem à reatu & poena. 2. cum exclusivæ δωρεάν, excludente opera & virtutes inhaerentes. 3. cum relativo αὐτῷ respiciente non hominem justificandum sed *Deum* justificantem. 4. cum πίστει prout non contradistinguitur sed opponitur gratiæ habituali & operibus *Rom.* 4. 5. 5. cum παρέσει τῶν ἀμαρτημάτων. Atqui acceptio *Gratiæ* pro dono inhaerente & infuso consistere nequit. 1. cum termino δικαιέμενοι in forensi significatione, ceu patet ex §. 5. nec 2.

B

cum

cum exclusiva δωρεάν; Gratia enim Papistica non excludit sed vobis
maxime includit virtutes & opera: Hinc est cur dicatur *gratum fa-*
ciens, cui assignare Papistæ non verentur splendida illa merita de
congruo: nec 3. cum relativo αὐτῶν, sed potius cum reciproco
αὐτῶν respiciente ad hominem justificandum in quo gratia illa sua
exerceret officia. nec 4. cum πίστει in ea, quæ inferius contra Papistas
§. 24. asseretur, notione: nec 5. cum παρέσει τῶν ἀμαρτημάτων,
connotat enim gratia habitualis magis justitiæ infusionem, quam
justitiæ imputationem seu peccatorum non imputationem. E. II.
ex cap. seq. collatione; ubi evidentem oppositionem D. Apost. in-
stituit inter gratiam & bona opera c. 4. 4. non tantum ea quæ ratio
sine spiritu præstat in non renatis sed & reliqua, seu sequentia quæ
ratio Spiritus S. adjutorio exercet in renatis: Subsumit enim opera
Abrabæ. III. ex parallelismo: Justificatio enim quæ h. l. gratiæ DEI
adscribitur, in solidum c. 9. v. 18. accepta refertur DEI misericordiæ
Conf. ps. 51. 1. Matth. 15. 26. DEI χριστότητι & Φιλανθρωπία Tit. 3. 4.
Rom. 5. 8. Eph. 2. 4, 5, 7. Ebr. 2. 9. 2. Tim. 1. 9. Conf. Job. 1. 16. & 17.
Qui locus, etsi tot opinionibus fere quod interpretes expertus est,
fit obnoxius, alia enim est *Vatabli & Montani*, alia *Maldonati*,
alia *Menochij* è Papistis; alia *Beze & Martinij*, alia *Lud. de Dieu*
Comment. b. l. è Calvinistis, commodissima tamen est explicatio
Flacij & Camerarij quæ hunc efficit sensum: Propter immensum
favorem & amorem quo Pater Filium complectitur, etiam nos ejus
fratres & membra diligit. IV. ex indole gratiæ prædestinantis; Quod
significatum obtinet Gratia in locis scripturæ de Prædestinatione,
illud obtinet etiã in h. l. de justificatione. Est enim gratia à qua de-
pendet electio, numero eadem cū ea cui innititur justificatio. Atquæ
Gratia in locis de Prædestinatione nō significat inherentes qualita-
tes sed solam misericordem Dei voluntatē Rom. 9. 11. 2. Tim. 1. 10. E. V.
ab inconveniente. Si Gratia h. l. significaret infusam qualitatem emerge-
ret Spiritu S. indigna nugatio: Infunduntur infusæ qualitates per
infusas qualitates ad ostensionem infusarum qualitatum: Ratio
connexionis est, quia justificari Papistis est infuso justitiæ habitu do-
nari, ut patuit ex dictis §. 5. & ostensio justitiæ iisdem est exhibitio
justitiæ, qua homo est habitualiter justus, ut patebit ex infra memb.
2. dicen-

2. dicendis. VI. à propria Adversariorum confessione. Quidam ap. Salmeron. l. c. p. 372. ita in h. l. commentantur: *Justificamur gratis i. e. sine ullis meritis & per gratiam ipsius i. e. per gratuitam Dei misericordiam & benignitatem quæ primaria est nostra justificationis causa.* Quod commentum, et si Salmer. non simpliciter approbat, tanquam improbabile tamen rejicere non audeat. Perer. *Disp. 12. in Rom. 3. n. 13.* contradicit Concil. Trident. & sociis. *Nomen gratie, inquit, cum hic dicitur; justificari gratis per gratiam ipsius, licet possit significare supernaturalem & divinam illam qualitatem à Deo infusam anima hominis & in ea inherentem, qua est justus & gratus Deo; videtur tamen potius h. l. significare gratuitam Dei bonitatem & benignitatem erga hominem.* Estius Comm. in h. l. p. 37. *Vocat h. l. gratiam Apost. quam in Epist. ad Titum (c. 3. v. 4. 5) vocat misericordiam i. e. gratuitam Dei benignitatem & beneficentiam erga miseros & indignos.* Vid. eundem in *T. t. 3. v. 4. 5.* eandem istam gratiam prolixius explicantem *Conf. Rom. 8. 35.* ubi charitatem Dei & Christi erga nos intelligendam esse cum *Cajetan.* & *Toleto* probabile judicat idem *Estius.* Ad di posset ratio VII. à notatione & Etymo Ebræo & Chaldæo *רַחֵם* cui notio *χάρις* respondet; Significat enim illud *רַחֵם* juxta *Schindl.* Lex. in Rad. misertus, gratificatus, gratia persecutus fuit, condoluit, in gratiam rejecit, benefecit. LXX & hos pro more secuti N. T. Scriptores reddunt cum per alia ap. *Kircher.* in *Concordantiis Græcis* voce *רַחֵם* tum per verbum *misereandi* *Exod. 33. 19.* *רַחֵם נַפְשִׁי - רַחֵם נַפְשִׁי* *Rom. 9. 15.* *ἐλεήσω ὃν ἄν ἐλεῶ.* In *Niphāl* deprecatus fuit *Jer. 22. 23.* in *Piel:* misertus est, ex gratia benefecit; in *Hithpael* *רַחֵם* misericordiam imploravit *Gen. 42. 21.* *רַחֵם נַפְשִׁי* Targum *רַחֵם נַפְשִׁי* cum supplex fieret nobis. In quibus singulis ne vestigium quidem Papiſticæ significationis deprehenditur.

§ 10. *Διά.* Frequens est hujus præpositionis usus cum passim in *Epist. Paulinis,* tum verò in dictis *de Justificatione* agentibus & nominatim in his duobus versibus ubi fungitur officio characteristica ad omnes fere causas exprimendas Notat i. *meritoriam;* & certo modo *materiale* *διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως* *Conf. c. 5. v. 1. 19. Eph. 1. 7. c. 2. 18. 2.* *instrumentale* ex parte nostri; *διὰ τῆς πίστεως* *Conf. Eph. 3. 12, 17. Col. 2. 12. Ebr. 11. 33. 1. Pet. 1. 5. 6. 3.* *formalem* *διὰ τὴν πάρεσιν.* Quanta aliàs extra

justificationis forum latitudo sit hujus præpositionis vid. ap. D. D. *Glaß. lib. 3. Phil. tract. 6. can. 9. Flac. part. 1. Cl. voce Per item Redemptio.* In specie verò an τὸ Per h. l. denotet causam *materialem* an *efficientem*, olim disputatum est inter *Monbemiium & Colonianses*, dum ille pro ista, hi pro hac posteriori notione dimicarunt. Sed prior sine dubio est præferenda, tum quod τὸ per rarius efficientem, sæpius materialem causam respiciat; tum quod Scriptura redemptionem velut materiam justificationis circumscribat, & h. l. & alibi, asserens nos Christum induere, sanguine & carne ejus sanari, vivificari. In quam sententiam scribit *B. Chemn. Art. de Justif. cap. de testim. Scriptura: Existimo, commodius esse, ut sicut Dialectici disputant de materiali & formali in relationibus, ita appelletur sane obedientia Christi materiale nostre justificationis, que deinde applicata ad terminum b. e. ad personam justificandam efficit formale ejus relationis, acceptationem ad vitam æternam.*

S. 14. Τῆς ἀπολυτρώσεως. Præfigitur articulus ad indicandam sine dubio non vulgarem sed singularissimam hactenus non audiam nec ulli nisi *θεανθρώπων* possibilem redemptionem. *Syrus.* פִּרְקָא i e redemptio, salus. Notat non determinate quidem & ubiq; frequentissime tamen redemptionē spirituales. Deducitur à *them.* פָּרַק in *Peal* redemit, liberavit, speravit *Col. 1. 13*, in *Peil* פָּרִיק segregatus *Ebr. 7. 26*. Intelligitur autem ἀπολύτρωσις 1. non *corporalis* quæ potest esse absoluta & contingere sine pretio; nec enim ab hoste externo captos auro corruptibili Christus redemit; sed *spiritualis* cujus & causæ & conditiones sunt spirituales; Erat spiritualis libertas hominis ante lapsum seu captivitatem sublecutam, captivans, Dei judicij ira & judicium, hostis, infernus, Diabolus mors; spirituale erat λύτρωσις; erant spirituales effectus, remissio peccatorum, adoptio. 2. non *improprie dicta* seu *metaphorica*, quæ vicissim peragitur citra alicujus pretij interventum sed *propriissime dicta*, quæ citra pretium nec cogitari nec perfici potest. Hujus acceptionis proprietates eruitur. I. *visceribus textus*: utpote in quo omnia etiam à *Socino part. 2 de serv. c. 2.* assignata requisita deprehenduntur. 1. *captivus*, homo redimendus, *δικαιώμενος*. 2. *captivum detinens* (1) *principaliter*; Deus, hic enim tanquam iratus & justus iudex hominem servum male meritum imò criminis læsæ

divine

divinæ Majestatis reum captivum tenebat. Nec tamen ab eo ca-
 ptivi per redemptionem erant alienandi: Quoniam humani
 generis captivitas non habebat se ac si quis bello captus detinetur,
 ab hoste, e. g. à Turca, à quo interveniente redemptione aliena-
 tur; sicut argumentatur *Socinus* è Collectaneis suis politicis, sed
 eo modo, quo subditus reus læsæ majestatis à Rege traditur victori,
 carceri, præsentissima, nisi per satisfactionem fiat redemptio, mor-
 te mulcandus. Hoc respectu dicimur redempti ab ira Dei *Rom.* 5. 2.
 ab execratione legis *Gal.* 3. 13. quæ execratio non est nisi damnatio-
 nis sententia in lege adversus peccatores secundum justitiæ teno-
 rem & dictamen pronunciata. (2) *minus principaliter*; quò rei-
 ferri potest vinculum peccati *v.* 25. ἀμαρτημάτων, cujus secuta
 dicitur παράσις seu relaxatio, quo pacto dicimur redempti ab ini-
 quitatibus nostris *Tit.* 2. 14. ex vana conversatione *1. Pet.* 1. 18.
 3. redimens *v.* 24. ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. 4. pretium, ἐν τῷ αὐτῷ ἀμαρτι-
 5. accipiens pretium, qui est Deus, seu tota SS. Trinitas, ὃν παρέθε-
 σεν ὁ θεὸς ἰλαστήριον, cui solvitur pretium non ut ab ejus potestate
 captivus abstrahatur, sed ut ei reconciliatur, eò quod Judicis pote-
 stas legitima sit vid. *D. Franz. Schol. sacrif. Diss.* 18. θ III & seqq.
B. Meisn Diss. 25. *Anthrop.* q. 3. II ex terminis, quibus hæc ὑπο-
 λυτρωσις exprimitur, vel abstractivè vel concretivè. (1) in N.T. qua-
 les sunt, λύτρωσις *Luc.* 1. 68. c. 2. 38. *Ebr.* 9. 12. λύτρωσιν *Matth.* 20. 28.
 ἀντίλυτρωσιν *1. Tim.* 2. 6. ἡγορασθητι γὰρ τιμῆς. *1. Cor.* 6. 20. (2) in
 V. T. redemptio propriè dicta per interveniens pretium, denotatur
 partim per לָנָה & לָנָה ut notum est ex Concordantiis: Quæ si-
 gnificatio propria salvari potest *Exod.* 6. 6 c. 15. 12. ubi sermo est de
 liberatione Ægyptiaca quæ & ipsa non simpliciter absque pretio
 facta, tum quia fuit typus redemptionis singularissimæ per Chri-
 stum futuræ; tum quia intuitu λύτρωσιν Christi Ecclesia statim à
 mundi incunabulis servata fuit & ab hostibus vindicata. Itē *Job.* 19.
 25. ubi per לָנָה non Deū ut *Mercerus, Junius* & hos secutus *Piscator*
 explicant, sed Redemptorem Christum intelligendum esse colligi-
 tur è Redemptoris requisitis à *Pineda in b l.* è Scriptura & fidei ana-
 logia erutis: interdum licet rarius per פָּדוּת quod ad eundem re-
 demptionis actum exprimendum adhibetur. *Num.* 18. 15 *Lev.* 27.
 28. 2. *Sam.* 21. 3. *Ose.* 13. 13. אֶפְרַיִם מִמּוֹת אֶלְנָהּ אֶלְנָהּ
 B 3 ad quem

ad quem locum si respexisset, vel in Cōcordantias Ebraas & Græcas penitus inquisivisset, non ita liberaliter pronunciasset *Pare in Com. Rom. 3. dub. 10. p. 343. Impropiè verò redimere seu liberare absque pretio est ארדו liberare.* 111. Ex *hypothesi Socini*, blasphemæ Photinianæ sectæ primarij architecti: *Redimere aliquem propriè, inquit l. c. est captivum è manibus illius, qui eum detinet, pretio ei soluto liberare.* Atqui ἀπολύτρωσις de qua *Apost.* sermo, est liberatio captivi (scil. hominis justificandi) à captivitate peccati, à tyrannide Dæmonis, à timore mortis. pretio soluto (h. e. sanguine à Filio ex obedientia fuso, ut inobedienciæ ac rebellionis crimen & reatum, quem in primo parente Adamo contraxerat, elueret) detinenti non ministeriali, Diabolo, qui carceris custos, apparitor, tortor & carnifex tantum erat, cui nulla ab homine captivo injuria illata erat, sed principali DEO, Regi & Judici, cui homo ut servus & subditus addictus erat. E. ἀπολύτρωσις de qua *Apost.* sermo fuit, est propriè dicta redemptio. II. *Ex analogia fidei.* Contraria enim de metaphorica redemptione interpretatio labefactat essentialem DEI. 1. *Justiciam* cujus Regulam *D. Apost. Rom. 1. 32.* constituit. Hæc verò non poterat dissolvi & destrui *Matth. 5. v. 18.* 2. *veracitatem*: *Gen. 2. 17,* morte morieris *Ezech 18 4. 20. 3. sanctitatem,* cujus intuitu non poterat non irasci super omnem impietatem. *Rom. 1. 18.*

§. 12. Τῆς ἐν χειρὶ Ἰησοῦ Syr. אִישׁוּ כִישׁוּי אִישׁוּי *Vulg.* in Christo Jesu, Eadem retinuit *B. Luth.* in versione vernacula: Talia enim nomina Propria sunt retinenda in versionibus, qualia reperiuntur in fonte seu textu authentico & originali, nec velut appellativa transferenda: A qua vertendi lege non semel deviarunt LXX in V. & *Vulg.* in utriusq; *Test.* versione. Vid. *D. D. Glass. lib. 4. Phil. tract. 3. obs. 16.* De utriusq; origine & significatione vid. *Interpp. in Matth. 1. 21. Luc. 2. 21. Dd. in Artic. de Christo. B. Chemn. p. 1. Harm. Evang. c. 9. B. Luth. in homil. Circumcis. Menz. in A. C. Art. de Christo. T. 6. Gieß. disp. 11. S. 14. Flac. in cl. voce Jesus Christus. Gerb. in Exegesi. Ex Papist Galat. n. de Arcan. C. V. lib. 3. c. 5. Et seq. præsertim c. 20. Salmero. T. 3. histor. Evang. tract. 37. ad superstitionem usq; & fere Cabalistarum more in articulatione & significatione desudantem p. 330. Ubi mirum in modum probat (nomen*

men JESU) esse nomen proprium & appellativum, substantivum atq; adjectivum, indeclinabile & declinabile per omnes casus singularis numeri dualis atq; pluralis, simplicis figuræ atq; compositæ, primitivum ac derivativum. Ex Calvin. Drus. lib. 2. Præter. ad Marc. 1. v. 15. Tossan. in LL. Comm. ex Marlor. & Fegvern. collectis. Martin. in Lex. voce Jesus.

§. 13. Ὁν προέθελο ὁ Θεός: Syr הנה דקדם סמה Re solvit enim verbum Græcum compositum, pro more, in duos simplices terminos, קדם סמה קדם enim non sceus ac Ebr קדם & קדם ad hibetur ad omne prioritatis genus indicandum, vid. causalitatis, loci, temporis, naturæ, dignitatis & ordinis, quoad intentionem & executionem; Ad h s enim distinctas classes revocari possunt exempla à Lexicographis indistinctè congesta. Vid. loca huic nostro parallela Eph. 1. 4, 5, 9. קדם גבן לן Ebr, 6. 2. קדם ער Gal. 3. 8. קדם ידע Vulg. & Erasmi. iisdem verbis: Quem proposuit Deus. סמה à סס deductum ab Ebr. סים per omnes, quæ agnoscit conjugationum formas, Peal, Peil, Ethpeel denotat fere causas tum intendentes, tum exequentes.

§. 14. Verbum προέθελο, tanquam concretum duo connotat. 1. formam denominantem, quæ est προθεσις & rem denominatam, quæ est terminus à quo, unde oritur, & ad quem, quò terminatur προθεσις. Terminus à quo à D. Apost. innuitur voce ὁ Θεός. Quemadmodum autem Deus in hoc negotio duplicem sustinet considerationem 1. ratione decreti s. consilij & intentionis 2. ratione executionis, ita duæ hujus loci circumferuntur Paraphrases: Flacius p. 1. Cl. voce Propositum, explicat in ordine ad Deum, exequentem; Sic enim ib προέθελε: Deus hunc Jesum publicè & cum gravi certo immotoq; decreto orbi terrarum proposuit severissimeq; mandavit, ut omnes eum pro suo unico propitiatorio aut medio rationeq; placandi Deum agnoscant, accipiant & observent, eoque utantur. Huc referenda aliorum è recentioribus sententia, qui existimant hac voce distinctum fuisse ἰλασθηριον Vet. ab ἰλασθηριω N. T. illud fuisse occultum hoc per doctrinam Evangelij manifestatum. Item Corn à Lap. pro Veteri typico propitiatorio Deum jam dedisse antitypum verum propitiatorium, ipsum scil. Christum. Pareus Com. in h. l. exponit contrà in ordine ad Deum

Deum decernentem; Est enim eidem τὸ προσέθετο idem atque æterno proposito constituit: Sic malo, pergit, accipere verbum προσέθετο, quam de patefactione, quod cum palam fecerit & conspectui omnium exposuerit quasi hoc opponatur veteri propitiatorio, quod in sanctuario occultum latebat. Etsi vero prior præferenda videtur, cum hic de applicatione agatur; utraque tamen, quia subordinata est, conjungi potest. Terminus ad quem indigitatur per relativum ὅν, connotans Christi, utramque naturam, personam & officium præsertim vero Sacerdotale, subijcitur enim

§. 15. Ἰλασίημον Syr: נִדְוִן Cl. Trost, indifferenter reddit modo per abstractum, propitiationem i. Job. 4. 10. c. 2. v. 2. modo per concretum, propitiatorem h. l. Originatio ejus potest esse distincta, salva tamen identitate significationis; Valet enim idem quod propitiatio, sive deducatur à דָּוָן Ebr. דָּוָן pepercit, cujus originis intuitu primæ syllabæ substerni solet petocho נִדְוִן quod rectius pronuntiatur chavsojo quam chausojo: Nec enim Syri agnoscunt diphthongos, sicut à recentioribus contra antiquiores Syriacismi cultores alibi probatur. Videatur post Schvventerum, Lud. de Dieu: Clariss. Dn. Dilherr. in Rudim. Linguae Syr. p. 11. sive à נִדְוִן expio purifico. Vulg. propitiationem. Erasm. propitiatorem. Valla & Stapulensis, propitiatorium. B. Lueb. zu einem Gnadenstuel respiciens ad Exod. 25. & 36. Ebr. 4, 16. Pisc. Deckel. Holtzhaei Jesuita l. supra cit. Versöhnung oder Gnadenstuel. De quibus versionibus quid sentiendum, mox aperietur.

§. 16. Controvertitur autem inter Commentatores quænam potissimum versio sit amplectenda, cum ob defectum articuli distinctivi τὸ vel τὸν quælibet consistere posse videatur. Amplectuntur enim quidam foemininum, propitiationem. Hilar. in Psal. 64. Ambrosius sive verius Prosper de vocatione gentium Greg. homil. 6. in Ezech. Hesych. l. 1. in Levit. c. 4. Pro hac militat indoles styli Paulini, quo, ut post multos alios observat Cornel. à Lap. sæpe per heterosin abstracta ponuntur pro concretis, circumcisio pro circumciso. Quidam masculinum: Erasm. quo etiam inclinat Estius. Quidam neutrum: interpres Theophylacti: quò propendet Cornel. à Lap. Salmer. Comm. in b. l. Diss. 17. p. 374 pro ea qua solet, facilitate tres istas versionum & paraphrasium varietates conjungit & ap-

& approbat. Quamquam verò quælibet ex iisdem suam vendi-
 cet sibi probabilitatem, adeo ut altera typi, altera antitypi, tertia
 effectus majorem rationem habuisse videatur, ea tamen, quæ
neutrum prosequitur, cæteris huic loco accommodatior censenda.
 Est enim hoc vocabulum neutro genere, fatente *Estio*, Scripturis,
 peculiare, à LXX. Interpp. usurpatum ad significandam tabulam
 illam supra arcam testimonij desuper extensam. Hinc sicut *D.*
Paulo præ cæteris, utpote in V. T. versatissimo, passim solenne
 est, modo *expresse*, ceu patet ex tota *Epist. ad Ebraeos*, modo *latitè*
 alludere ad dicta & facta V. T. ut ostendat Christum in *Mose*, Ec-
 clesiam in *Synagoga*, N. T. in V. fuisse significatum & adumbra-
 tum, quippe quo Iudæi commonefieri poterant, V. T. Novo
 prælusisse, Christique paronymum egisse: Ita h. l. respicit ad
 istam tabulam *Exod. 25. 17.* delineatam, *c. 35.* fabricatam. Hujus
 tabulæ *geminum* officium erat 1. ut tegetet arcam fœderis & Deca-
 logum in ea positum à facie superinhabitantis Dei absconderet.
 2. ut esset ordinaria sedes divinorum oraculorum: Ex hoc enim
 loco, velut de clementiæ throno, in medio duorum Cherubin Deus
 propitiatus dabat responsa populo. Intuitu *utriusq;* comparatur
 Christus, secundum *duplex* quo in statu Exinanitionis, dum adhuc
 agebat in Ecclesiæ militantis Tabernaculo, fungebatur, officium.
 1. ratione *Prøphetici*, quat. Pater cœlestis per illum responsa dedit,
 & voluntatem suam revelavit. *Esa. 61. 1. Ps. 45. 3.* 2. ratione *Sacer-*
dotalis tum quoad *acquisitionem*, quatenus *λύτρον* pretiosissimi
 sanguinis persolvit; tum quoad *applicationem*, quat. in actu justifi-
 cationis abscondit Decalogum & Chirographum, ne DEUS no-
 biscum intret in iudicium, nostrasq; iniquitates observet. *Ps. 14. 2.*
 & *130. v. 21.* Hujus appellationis, qua Christus dicitur constitui-
 tus *ἱλαστήριον*, emphasis, ut plenius evolvetur, tenendum est *tria* re-
 quisita involvi sive inculcari à Spiritu S. *duo*, quoad *naturam*, *ut unum*
 quoad *personam*. Debebat scilicet esse (1) *verus homo*; Dicitur
 enim cōstitutus per fidem in sanguine, sine quo non poterat & cō-
 stitutionis & propitiationis effectus contingere, *πάρεσις ἀμαρτι-*
μάτων Conf. *Ebr. 9. 12* (2.) *verus Deus*: Propitiatoris enim obe-
 dientia Deo pro nobis præstanda, remissionem peccatorum debuit
 mereri, ista verò meritum esse non poterat, nisi persona, talem
 obedientiam præstans esset Deus & nisi pretium Deo pro nobis so-
 lutum

lutum esset infiniti valoris, in personæ merentis infinitate fundatum. (3) & homo & Deus in *una persona*; Propitiator enim idem debuit & mori; quippe qui constitutus fuit (per fidem) in sanguine; & mortem vincere, quia alias non fuisset Propitiator. Solus autem DEUS mori non potuit, nec solus homo mortem superare.

§. 17. Διὰ τῆς πίστεως: Subjicit D. Apost. instrumentum à parte nostri à DEO ad id ordinatum ut ejus beneficio applicatio, sine qua redemptio & propitiatio finem non sortita fuisset, nobis contingeret. Syrus. אֱמוּנָה à them. in Conjug Aphel אֱמוּנָה credit. Unde אֱמוּנָה fidelis, à quo descendit אֱמוּנָה. Hoc verbaletot significationibus obnoxium est, quot Græcum πίστις & Latinum fides. Vid. B. B. Luther. T. 1. Jen. Diss. 1. & 2. super Rom. 3. 28. Chemn. p. 1. Exam. pag. 159. Art. de Justif. c. 2. Hunn. qq & resp. de justif. p. 93. & 94. Flac. in Cl. p. 1. voce Fides. item in Libello de Fide. Balduin. in Com. Rom. c. 1. q. 9. Gerhard. T. 3. Art. de Justif. cap. 4. §. 65. Meisner. Anthrop. D. sp. 24 q. 6. lte part. 2 Phil. sobr. sect. 1. c. 1. præsertim Excell. D. D. Martini Syst. Theol. Coll. 3. Diss. 17. §. 22. Polan. lib. 9. Syntag. c. 6. Paré. in Rom. 1. 17. Cujus termini latitudo, ut pro hujus loci exigentia restringatur, tenendum est, accipi Fidem hoc loco 1. non pro veritate & constantia in dictis & factis vel à parte Dei Rom. 3. 3. vel à parte hominum Rom. 1. 8. 2. non pro doctrina cælitus revelata vel universa Gal. 6. 10. vel Evangelica ut infra v. 27. & 31. vel fundamentalibus articulis Rom. 12. 6. 3. non pro cognitione historica, vel nuda qua credens in genere statuit vera esse quæ in verbo Dei revelata sunt Act. 26. 27. vel assensu modificata; quæ fides ratione utriusque cognitionis gradus aliquando in impiis, imò in ipsis etiam Diabolis invenitur Jac. 2. 19. vel externa saltem professione declarata Jac. 2. 14. Sed pro certa & immota in Christum ἰλασῆριον fiducia, præviā notitiā & assensum includente, ut nec ullus istorum graduū sine altero in Fide justificante vel sit vel esse possit; nec Scriptura alterutri, nisi alteram vel antecedenter vel consequenter includat, justificationem, synecdoche sibi aliàs familiari, attribuit.

§. 18. Huic fidei justificandi vim transcribit h. l. D. Apost. quat. consideratur 1. non absolute & sub ratione illius actus primi, prout

in præ-

in prædicamento qualitatis est quidam habitus intellectus & voluntatis; hæc enim (1) tam imperfecta est atq; infirma, ut ἐνδείξιν τῆς δικαιοσύνης sustinere prorsus nequeat quam diu ex propria & congenita dignitate æstimatur (2) si maxime perfecta foret, non esset satisfactoria & meritoria, quia jam ante debita. (3) si meritoria foret, non tamen omnium Decalogi præceptorum, sed unius tantum, primi scilicet virtus esset. II. non in actu renovationis, prout post acceptam justificationem exerit se in justificatis per exercitia patientiæ, precum, expectationis auxiliij; Hujusmodi enim fidei obiectum non est sola ἀπολύτρωσις, solum ἰλασῆριον, solum ἄμαρτιαι, quale h. l. constituitur, licet hoc ipsum obiectum semper instar cujusdam fundamenti, cui firmiter innititur, præsupponatur & includatur; verum etiam res externæ & temporariæ esse possunt, teste Epist. ad Ebr. c. XI. Sed relativè in quantum fiducialiter apprehendit exquisitissimam adeoq; omnium mandatorum impletionem complectentem & activam & passivam Christi obedientiam, exclusis quibusvis aliis motibus poenitentiae, spei, charitatis.

§. 19. Veritas hujus ac simul falsitas Papistica & consequenter Photiniana acceptionis probatur I ex contextu; Ejusmodi enim fidei notio hîc obtinet, quæ consistere potest cum τῷ δικαιοῦσαι δωρεὰν τῇ αὐτῆ χάριτι, cum ἁματι αὐτῆ, cum παρέσει τῶν ἁμαρτημάτων, cum ἐνδείξει τῆς δικαιοσύνης αὐτῆ. Atqui (1) notio fidei in significatione Papistica non potest consistere. 1. cum τῷ δικαιοῦσαι δωρεὰν τῇ αὐτῆ χάριτι, ostensum enim fuit §. 5. & seqq. excludi omnia opera justificationem & antecedentia & concomitantia; 2. cum ἁματι αὐτῆ, obiectum enim fidei Papisticae constituitur non meritum Christi, seu doctrina Evangelij, sed in genere Verbum Dei. 3. cum παρέσει; nam fides Papistica non pertingit ad applicationem ut credēs remissionem peccatorum sibi secundum hîc & nunc itemque alias condiciones seu appendices individuales, contigisse confidat, sed quia tantum assensu consummatur, terminatur in acquisitione. Vid. Excellentiss. Dn. D. Hulsemann. Manual. Diss 17. §. 32. 4. cum ἐνδείξει δικαιοσύνης quam velut ignem consumentem sustinere nequit fides habitualiter spectata ob multiplicem, quæ ipsi, tanquam paleæ, adhæret, imperfectionem de qua §. præced. (2) notio Fidei relativè considerata, prout



prout terminatur objective ad meritum Christi, consistit cum omnibus modo recensitis, sicut ex hactenus allatis S. S. & seq. innotuit, & ex deinceps afferendis porro innotescet. Ergo. II. *terminis synonymis & parallelis* (1) V. Test. $\pi\sigma\eta$ & $\pi\sigma\epsilon$ cui in propria acceptione respondet apud L X X. $\pi\epsilon\iota\theta\omega$ $\epsilon\lambda\pi\acute{\iota}\zeta\omega$, $\epsilon\pi\epsilon\lambda\pi\acute{\iota}\zeta\omega$, $\theta\alpha\rho\rho\acute{\epsilon}\omega$ Uterque conjungitur subinde pro more scripturæ: Usitatum enim est in Scripturis, *Prophetis præsertim & Pœticis*, uti distinctis hemistichiis eundem sensum, ita etiam distinctis phrasibus & terminis idem significatum exprimere. LL. vid. in *Concord. Buxtorfi*. Et ut parallelismum evidentius evolvam; Ubi N. T. inculcat *credere & fidem*, ibi Vetus *fiduciam*. Item: Quos effectus N. T. assignat *fidei*, eos V. T. ferme adscribit *fiduciam, spei, expectationi*: *Matth. 16. 16.* Qui crediderit, salvus erit; ita exprimitur in V. T. *Pf. 2. v. ult.* Beati omnes qui confidunt in eo. Quæ *diversitatis* ratio se tenet non à parte *organi applicantis*; quasi alio instrumento & manu alia in V. T. apprehensa fuerit $\delta\pi\omega\lambda\acute{\upsilon}\tau\epsilon\omega\sigma\iota\varsigma$ & $\iota\lambda\alpha\sigma\acute{\eta}\rho\iota\omega\sigma\iota\varsigma$ quam in N. T. ceu sibi hæreticè persuadent *Pontificij, Photiniani & reliqui hodierni fanatici*; sed à parte *subjectorum* quibus applicatio ista contingebat; Cum enim doctrina de *Fide* sub V. T. proposita fuerit populo Dei, per ministerium Verbi & Sacramentorum jam dum collecto, converso & à fidelibus parentibus à primæ infantiæ termino ritè instituto, ac veri Dei cultum professo, post *primum* fidei gradum qui jam tum vigeat, adhuc *alter* ille, à quo complementum sortiebatur, & in quo tota difficultas penes plurimos sanctos residere solebat, fiducia nim. & spes in DEUM à Prophetis inculcanda restabat. Contrà in N. T. doctrina quidem numero eadem, sed non eidem numero populo adeoque nec sub eadem habitudine instillanda erat. Ecclesia enim demum colligenda erat ex hominibus sui & Creatoris & Redemptoris & Sanctificatoris p. t. ignaris, de ejusdem vero cultu adhuc instituenda: Iccirco satisfacere non poterant locutiones prioris generis, motus illos cordis, mentis notitiam, utpote nondum acquisitam, præsupponentes, sed adhibendæ erant notiones, utrumq; fidei gradum, & notitiam & fiduciam significantes quales sunt *credere & fidere*. (2) N. T. ubi circumscribitur terminis *Abstractivis*, $\pi\lambda\eta\rho\phi\omega\rho\acute{\iota}\alpha$ *Rom. 4. 21. Conf. Col. 2. 2. Ebr. 6. 11. 1. Thes. 1. 5. ὑποψίσεις*

πίστει Ebr. 11. v. 1. *πεποιθήσει* Eph. 3. 12. *Phil.* 3. 4. *καυχήματι*
Rom 5. 2. *Concretivis Rom.* 4. 21. 2. *Tim.* 4. 17. *Luc* 18. 9. &c Huc
 perrinent 19. rationes *Flacij* in Cl. voce *Fides* p. 519 & seq. quibus
 invicte probatur iis in locis, ubi fidei transcribitur justificatio, non
 solam notitiam sed etiam fiduciam contineri. Vid. ejusdem *Lib. de*
fide & justificatione. III. ex *oppositione*; Etenim hæc ipsa fides v. 28.
 opponitur operibus. 1. non tantum *ceremonialibus*, sed etiã *moralibus*. 2. non
 tantum *precedentibus* & sine fide factis, sed etiam *se-*
quentibus & à fide *pro-* factis, ut inferius Membr. 2. contra Jesuitas
 probabitur. IV. ex *Papistarum* testimonio. Produco I. Cardinal.
 Contaren. etiam post *cen-* suram & reformationem operum ejus,
 advertente post *Rivetum*, *Gerhardo Cath. Confess. lib. 2. part. 3. art.*
23. cap. 1. Fides, inquit, apud *Rivet. Cathol. Ortho. tract. 4. q. 10.*
quandoq; appellatur *fiducia*, qua *confidimus* *promissioni* nobis facta à
quocunq;: *Verum nos contrahimus hanc fidem ad promissionem divi-*
nam, que est in DEO, quat. promissa servat: In nobis autem est hæc
fides, prout fidimus promissioni divina. 2. *Estium in comm. b. l. p. 38.*
Cujus propitiationis participes reddimur per fidem, qua credimus eum
pro peccatis nostris expiandis sanguinem effudisse, simulq; *confidimus*
Deum Patrem propter effusam sanguinem filij sui fore nobis propitium.
 3. *Salm Tom. 13. Disp. 28. p. 378. Fides aliena Justitiæ Christi scil.*
nititur, quam apprehendit & suam sibi facit, suis meritis & viribus
diffidens. 4. *Papistas alios apud Flac. p. 326. tribuentes verbo Cre-*
dere subinde solam notitiam, subinde etiam fiduciam. Atqui ab-
 stracti & concreti eadem vis est & indoles quoad rem significatam.

§. 20. *Ev τῷ αἵματι αὐτοῦ*: *Syrus*: *ܡܕܝܢܐ* præposita caracte-
 ristica *ܐܝܢܐ*, i. e. sanguinis sui. *Vulg.* in sanguine ipsius. Ubi gemina
 apud *Interpp.* circumfertur constructio. 1. *Patres, Chrysost.* (qui in-
 ter medium, *in fidem*, non videtur legisse) & hunc secutus *Theodor.*
Ambros. è Jesuitis *Toletus* τὸ *in sanguine* referunt ad remotius scil.
 ad *ἰλασῆριον*, q. d. *Apost. Christus sanguine non animalium aut alie-*
no, sed suo factus est propitiator. Huic constructioni favet styli Pau-
 lini idiotismus: Solet enim *Apost.* interdum verba trajicere; cujus
 trajectionis exempla vid. ap. *Cornel. à Lap. Can 38.* Huc forsitan re-
 spexit *Erasmus* quando vertit h. l. *interveniente sanguine.* 2. *Recen-*
tiores interpretes ferè communiter, reducunt ad propinquius, *διὰ*

ἡς πίστεως. Ita è nostris B. Bald. in Com. c. 3. anal p. 3. n. 4. è Papi-
stis: Cornel. à Lap. Estius, Menochius. Ultramque conjungi posse
existimat Parèus Calvinista. Etsi verò hæ constructiones ita com-
paratæ sunt, ut singulæ, salva fidei analogiæ sua probabilitate, gau-
deant, secunda tamen, utpote simplicior, cæteris præferenda vide-
tur. 1. ob ordinis rationem unde, nisi prægnãtia κριτήρια urgeant, re-
cedendum non est. 2. ob pronominis reciproci αὐτῶν determinatiuam.
Apost. enim, si remotioris habuisset rationem, non dixisset αὐτῶν
vel εαυτῶν, quæ est constans omnium Codicum, teste Beza, lectio,
sed potius αὐτῶν.

§. 2. 1. Tribuitur autem sanguini Christi justificatio, (mediante fide)
I. non simpliciter & absolutè ut vul: Bellar l. 4. de Chr:st. c. 8. exclusa
passione spiritali & interna; Sic n. Apost. sibi ipsi contradiceret Phil.
2. 8. affirmanti, Christum esse obedientem factum usq; ad mortem
crucis, h. e. ejusmodi mortem quæ est cū maledictione divina connexa
Gal. 3. 13. quam Christus in anima potissimum à Deo ad temporis
momentum deserta sensit; sed tanquam toti sacrificio, quod in hu-
miliationis obedientia fuit inchoatum, in morte consummatum.
Utitur autem vocabulo sanguinis habito respectu 1. ad Christi na-
turam humanam, cujus veritas in sanguinis effusione & corporis
morte evidentius animadverti debuit. 2. ad officium ejus Sacerdotale,
quod maxime in corporali passione conspicuum & illustre exti-
tit. 3. ad complementū V. T. (1) Vaticiniorum de sanguine Christi Esa.
53. & 63. (2) typorum, præsertim sacrificiorum, tum vitulorum &
hircorū, quorū sanguine populus aspergebatur, tum agni Paschalis
quo non aspergebatur, sed ostiorum postes linebantur Exod. 12.
Summatim, quæ in aliis libris sacris è sacrificiorum ritu petita & ad
hoc ἰλαστήριον accommodata leguntur sparsim Matth. 26. 28. Job.
1. 36. &c ea unico hoc termino proponuntur quasi conjunctim; Et
quæ in Epistola ad Ebr. reliquarum, quoad sacrificialium rituum
materiam, compendio, plenius evolvuntur, bñ simul & semel concu-
sive exhibentur. II. non quæ est effundendus: ad quem sanguinem
terminabatur fides justificandorum sub V. T. Adami, Noæ, Abrahæ,
Davidis, Johannis Baptistæ, adeo. ut si Joh Bapt. credidisset in san-
guinem effusum, tanquam incredulus damnatus fuisset: sed quæ
nunc est effusus, adeo, ut Judæus in sanguinem Melsiæ adhuc effun-
dendum

dendum credens, citra controversiam damnationem incurrat.
Vid B. Luth. T. 1. Lat. Jen. Diss. de Ebr. 13. 13. v. pag. 526.

§. 22. Εἰς ἐνδείξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτῆς. Sicut in omnibus Dei operibus *ad extra*, illis præsertim, quæ exercet in regno Gratia, duplex intenditur finis, alter à parte Dei, alter à parte nostri: Ita etiam in opere justificationis geminus inculcatur & à parte nostri de quo v. 26. & à parte Dei, gloria divinæ justitiæ, de qua h. l. Sicut autem varia est phraseos, *justitia* Dei acceptio, de qua *Flac. in Cl. voce justitia, Bald. in Rom. 1. q. 8. p. 2. p. 71. Meisn. Diss. 24. Anthrop. q. 1. Parè. in Rom. 1. 17. Salm. Tom. 13. Diss. 11. in Rom. 1.* Ita varia, in h. l. redundavit expositio. Intelligit enim 1. *Theodor.* bonitatem quam Deus vel maxime ostendit in Christo. Huic acceptioni patrocinantur, quod *Ebr. נָרְצָה & פָּרְצָה* passim denotet misericordiam *Dan. 9. 16. LXX. κῆρυξ ἐν πᾶσι ἢ ἐλεημοσύνη αὐτῆς Esa. 65. 1. LXX. καὶ τὸ ἐλεός μου ἀποκαλυφθήσεται. LXX. secutus Vulg. sæpius vertit, per misericordiam 1. Reg. 12. 7. Psal. 103. Dan. 9. 16. Sc. 2. Ambros. fidelitatem, qua Deus re ipsa præstitit & exhibuit propitiationem & justitiam, quam per Christum dandam nobis promisit. Ne hæc ipsa acceptio infrequens est in sacris 1. *Job. 1. v. 9. Ps. 36. 7. Esa. 45. v. 19. 3. Origenes* justam peccati vindictam, qua Deus noluit remittere peccatum, sed pro eo voluit justum pretium sanguinis sibi persolvi. Displicet hæc significatio *Corn. à Lep. Salmeroni* contra eadem arridet, quam cum 2. conjungit, oblitus sine dubio generalis pronuntiati *Diss. XL in Rom. 1. 17 p. 314. Justitia Dei*, inquit, in his disputationibus *Pauli*, ut magnus annotavit *August.* pro dono inherenti gratia, quo coram Deo justus efficiamur, accipi debet. Notio ista justitiæ etsi passim in V. T. *Psal. 9. 5. Ps. 119. v. 137. Ps. 145. 17. in N. Rom. 1. 32. 2. Thess. 1. 5. 6.* obtinet, impudenter tamen à recentioribus *Photinianis & Remonstrantibus* infra citatis negatur. Tribus modo recensitis acceptationibus *Parè. in comm. b. l.* superaddit aliam, Deum non tantum testatam fecisse suam 1. *veritatem & constantiam*, implendo in opere redemptionis & Evangelicas promissiones in tot oraculis ac typis exhibitas, & legalem comminationem, *Morte morieris 2. bonitatem & Φιλανθρωπίαν* qua misertus nostri Filium unigenitum Redemptorem nobis destinavit 3. *judiciariam*, quæ bonis præmia, malis pœnas adjudicat; sed etiam *universalem**

Salem

Salem rectitudinem & sanctitatem: Hæc justitia, in toto Redemtionis opere perspicuè eluxit, quandoquidem omnium divinarum virtutum admirandus concursus, immensa vid. sapientia, potentia justitia, bonitatis, misericordia, beneficentia, gratia in illo summè enituit.

§. 23. Quanquam verò nulla ex hisce tribus non videatur verisimilis, illa tamen, qua accipitur pro justitia vindicatrice & judiciaria, misericordiæ alioqui opposita, decernente justis justitiæ præmia, injustis injustitiæ supplicia, hîc admirando modo misericordiæ temperamento affecta, textui forsan erit magis accommodata, id quod convincitur 1. ex immediata connexione cum Christi passione, satisfactione, redemptione & peccatorum remissione. Ea siquidem intelligenda est justitia, quæ ostensa fuit in ἀπολύτρωσις, & ἰλασηρίω per fidem in sanguine ejus constituto item in παρέσει. Atqui justitia vindicatrix misericordiâ temperata ostensa fuit in ἀπολύτρωσις, ἰλασηρίω & παρέσει. Hinc D. Hunn in Com. h. l. hujusmodi, inquit, justificationis modum constitui oportuit per quem ante omnia Dei justitiæ pro peccatis hominum ad plenum satisfaceret, quod Christi interveniente sanguine factum. 2. ex typorum cum antitypo collatione: Hujus enim justitiæ typicus effectus, sanguinis v. & marum effusio, præcesserat. Tam numerosæ siquidem victimarum cædes pro hominum peccatis erant justitiæ divinæ, cui per effusionem satisfieri debebat, commonefactoriæ & passionis Christi adumbratoriæ. 3. ex phraseos parallela comprobatione: Idem enim, quod D. Apost. 2. Thess. 1. 5. dicit, justum esse ap. Deum retribuere bonis bona, malis mala, plane hîc inculcat, tantum abesse, ut Deus peccata dimittat impunita, quin potius, quæ gratis nobis remittat, eadem simul in Filio gravissimè puniat. Ab hac nostra & Patrum. §. 22. allegatorum expositione recedunt Jesuitæ hodierni, à quorum corruptelis vindicabitur inferus memb. 2. n. III.

§. 24. Διὰ τὴν παρέσειν Vulg. propter remissionem. Syrus non legit huic locum. Estius conjicit, ideo prætermisisse, quod in vocis significato dubius fuerit. Sed fortasse nimis liberaliter conjicit. Suppetit enim Syro suum נרש & ab eo descendens verbale נרש 1. Cor. 7. 27 quod ipsi est dimittere Matth. 14. 23. solvere, relaxare

realzare *Act. 7. 33. c. 16. 15.* abolere, destruere *Matth. 26. 61. Act. 6. 14.* adeò, ut ego hunc locum potius corruptum esse existimem. Indicat verò h. l. *D. Apost.* causam justificationis formalem, quæ una & eadem est in uno imputationis actu consistens, modum tamen geminum involvens *σπῆλικὸν & ἁετικὸν*; Peccata enim quæ in nobis sunt, non imputantur; hoc pacto dicitur hîc consistere in *παρέσει*; vicis im justitia Christi, quæ in nobis non est, imputatur, quo respectu cap. seq. dicitur absolvi *imputatione*. Quidnam verò pro *formali* importet *πάρεσις*, apud *Interpp.* est controversum. I. *Aug. de Spir. S. lit. c. 13.* & *Com. Ambr.* legunt *propositum*, sed falsò. Est enim lectio ista tum contra significatum vocis Græcæ, tum contra coherentiam textus. II. *Chrysostr.* *Theophyl.* exponunt per *tabem*, corruptionem virium, remissionem, debilitatem, ita ut sensus sit, *DEUM* cum videret mundum peccatis precedentibus oppressum contabescere & velut paralyticum jacere sine spe salutis, misericordiâ motum, misisse Christum Medicum ac propitiatorem. Hunc oppositionem valde probabilem judicat *Estius*. III. *Origenes* & è *Latin.* *Anselm.* *πάρεσις* accipiunt pro *ἀφέσει* cum quibus facit *Cornel. à Lapid. S. Paréus* h. l. Probatur hujus acceptionis 1. *possibilitas* seu quod per *πάρεσις* intelligi possit *ἀφεσις*, ἐκ τῶν ὁμοίων λέξεως: *Ista dictiones Græcæ inter se invicem permutari possunt, tanquam equipollentes, quæ conveniunt sub uno themate Ebræo*: Atqui *παρήμι* & *ἀφήμι* conveniunt sub uno themate Ebræo. E. Majoris veritas & universalitas nititur inductione singulariû Minor probatur; quia Ebræum *לָו* & *לָו* indifferenter redditur à *LXX* modo per *ἀφήμι*, modo per *παρήμι*. Vid. *Concordantias Kircheri* voce *לָו* & *לָו* 2. *necessitas* ἐκ τῶν ὁμοίων πρὸς γράμματος: *Ista acceptio παρέσεως hîc obtinet, quam exigit series & tenor contextus*: Atqui istam, qua *πάρεσις* sumitur pro remissione, exigit series & tenor contextus. E. Minor evincitur 1. ex termino justificationis v. 24 qui, sicut § 5. contra Papistas evictum, connotat hujusmodi absolutionem & remissionem. 2. ex termino *ἀμαρτημάτων*: in quovis peccato, à quo coram tribunali absolvendi sumus, duo se se exerunt, ut post *Aug. lib. 22. de Civ. Dei c. 24.* loquuntur *BB. Balduin. S. Gerb.* vitium & supplicium; illud tollitur per imputationem justitiæ Christi (v. 25. *ἰλασῆριον* v. 24. *ἀπολυτρώσεως*) hoc perre-

D

missio-

missionem & condonationem, (v. 25. διὰ τὴν πάρεσιν) proprie enim poena remittitur, quando peccans à culpa absolvitur.

§. 25. Τῶν ἀμαρτημάτων. Est notio ex N. T. Scriptoribus non soli Paulo, ut putat Flac. voce Peccatum p. 850. hinc & 1. Cor. 6. 18.) sed Marco etiam c. 3. 28. c. 4. 12. usitata, Syr. ܢܦܘܦ à sing. ܢܦܘܦܦ Usus ejus alias est indifferens ad exprimendas voces Græcas ἀμαρτίαν, ἀνομίαν &c. non sicus atque Ebraeum ܢܘܦܦ & ܦܢܘܦܦ à LXX redditur per ἀμαρτίαν Lev. 4. 5. & passim ἀμαρτημα Gen. 31. 36. ἀσέβημα Thren. 4. 22. ἀνόμημα Jos. 24. 19. commodissime per ἀνομίαν sal. 51. Intelligitur verò per ἀμαρτημα h. l. non peccatum aliquod in particulari, vel præcisè originale vel actuale, saltem illud quod baptismum & justificationem præcedit, uti blasphemè contendunt quidam ex Papistis præsertim Salmern in b. l. p. 374. Nec enim semper & perpetuo Peccatum in singulari, præsertim cum articulo ἡ ἀμαρτία Paulo illud peccati caput, nempe originale significat, in plurali autem αἱ ἀμαρτίαι fructus aut effectus ejus h. e. actualia; nec si perpetuū hoc esset in ἀμαρτία statim argumentari liceret ad ἀμαρτημα: Sed in universali quævis ἀνομία h. e. & genera singulorum & singula generum, de quibus Theolog. ex professo in Artic. de Peccato. Hæc τῶν ἀμαρτημάτων significatio eruitur I. ex contextu: Illorū peccatorum remissio hæc intelligitur, quorum gratia Christus à Deo fuit ἰλαστήριον propositus. Atqui omnium peccatorum ἰλαστήριον Christus à Deo fuit propositus. E Major est in textu. Minor probatur: Apost. enim hoc ἰλαστήριον tanquam remedium opponit peccatis & actualibus de quibus fere in capp. præced. 1. 2. 5. 3. quod partem priorem; & originali, de quo cap. 5. &c. non tantum ante regenerationem, sed etiam post eandem commissis, de quibus cap. 7. Ibi enim D. Apost. sub persona hominis renati, sive de se, qualis tunc erat, loqui, hætenus non tantum à Nostris, sed etiam à multis Papistis & Calvinistis contra Photinianos & Arminium in Anal. hujus cap. est defensum. II. ex aliorum terminorum equipollentia. Includitur in voce ἀμαρτήματος omnis ἀνομία, quam vocat c. 1. v. 18. ἀδικίαν, ἀσέβειαν v. 29. πονηρίαν, κακίαν &c. c. 3. 5. passim ἀμαρτίαν c. 5. v. 16. παράπτωμα v. 19. παρακοήν c. 6. v. 16. 5. 17. passim. ἀμαρτίαν v. 19. ἀνομίαν c. 7. v. 5. παθήματα τῶν ἀμαρτιῶν v. 23. νόμον ἐν μέλεσι v. 25. νόμον ἀμρτίας,

ἐπιμαρτίας III. ex confessione Papistarum: Estius in h. l. p. 38. ita
 commentatur ad verba; propter remissionem &c. Christum à Patre
 datum propitiatorem per quem remitterentur peccata hætenus ad-
 missa, non quod ad remissionem eorum, quæ postea committerent ho-
 mines, non esset valitura Christi victima: Valet enim prorsus una &
 eadem ad delenda totius seculi peccata, quemadmodum late demon-
 strat Epist. ad Ebr. Idem in Com. 1. Job. 17 ad verba, ab omni pecca-
 to: Dicit, ab omni peccato, volens utiq; comprehendere omne pecca-
 tum originale, mortale, veniale, quemadmodum bene declarant in
 suis Comment. August. & Bed. nec non Hieron. lib. 2. Dial. contra
 Pelag. Licet verò ibi videatur statuere discrimen inter modum
 emundandi peccata actu alia ante & post Baptismum commissa, per
 ἐπιμαρτίας tamen concludit, quod sine virtute sanguinis Christi pro
 nobis effusi nulla fiat peccatorum remissio Conf Thom p 3. q. 1. a. 4.
 & q. 49. a. 5. Greg. de Val. T. 4 col 70. V. ex discussione lubrici, quo
 contrariæ sententiæ Patroni nituntur, fundamenti, quod est depra-
 vatio vocis seq.

S. 26. Περγεγονότων Syrus קדים קדים que ab initio pec-
 cavimus. ubi per קדים קדים denotatur tempus alias definitum, alias
 indefinitum. Vid. Rom. 1. 2. c. 79. c. 11. 21. 30 c. 15. 4 Quoad signi-
 ficationem interpretes partim conveniunt, partim discrepant: Conve-
 niunt in conceptu generico confuso & inadæquato, vid. innui tem-
 poris quandam prioritatem, discrepant in specifico, distincto &
 adæquato temporis articulo determinando. 1. Sunt, qui referunt
 ad homines peccatores ante adventum Christi in limbo sine pœna
 sensibili detentorum. Ita Dionys. Carthus. Lyra apud Paré h. l. Ab-
 surditatem hujus expositionis advertentes 2. alij Papistæ restrin-
 gunt ad tempus baptismi, quasi Christi sanguine expiata sint pec-
 cata tantum ante baptismum commissa; sequentia verò non
 per illum sed per Missam expianda esse. Ita Ambros. Catharin. ap.
 Flac in Comm. h. l. 3. Flac. in Cl. voce Præcedo p 935 putat ideo vocem
 Περγεγονότων fuisse additam, quod omnis remissio peccatorum sit de
 præteritis, non autem de futuris, ut aliqui indulgentiarum præcones
 olim factitarunt. Quæ Flacij cogitatio, etsi pia & alioquin verissi-
 ma, huic loco tamen, qui majorem emphasin præ se fert, parum
 videtur accommoda. Nec illam emphasin assequuntur 4. Salm.

*in h. l. p. 374. Estius h. l. existimantes, ideo quod, dici praterita, quod
 amplius peccatis vivendum non sit sed justitie. Dicendum ergo est
 cum Nostris generali peccatorum, quæ Christi sanguine expiata
 sunt, notioni, addi ab Apost. specialem determinationem *ωεγγεγονότων*,
ωεγγεγονότων, ad insinuanda delicta eorum, qui sub V. T. vixerunt, & Ju-
 daeorum & profelytorum, quorum successores erant illi ad quos ser-
 monem in hac Epist. dirigit, Judæi & Græci, Conf. Ebr. 9. 15. Pro-
 batur hæc expositio 1. ex contextu: Cohæret enim vox *ωεγγεγονότων*.
 1. cum seqq. *εν τῇ ἀνοχη*, ubi commendat Apost. Dei indul-
 gentiam ante Christum exhibitum & contradistinguit *τω νυν και-
 ρω*, h. e. tempori post eundem exhibitum. 2. cum *precedentibus*;
 quando dicitur Christus propositus *ιλασηριον δια τῆς πίσεως εν
 αιματι αυτου*, cui sanguini hoc ipso debita vis & efficacia, non
 tantum r. tro sed etiam ante valida, & sic cum sponione ab *ιλαση-
 ριω* proposito facta incepisse asseritur juxta *apoc. 13. 8.* ac conse-
 quenter, uti *sanguini Christi archetypo* omnis justificandi seu re-
 mittendi peccata virtus adscribitur, ita *typico & legali*, utpote in se
 salutaris activitatis experti, non nisi adumbrandi & præfigurandi
 vis relinquatur. 3. cum exemplo *Abraha & Davidi c. 4* quibus ea-
 dem non imputatio peccatorum seu imputatio justitiæ contigisse
 asseritur. *Vid. B. Franz. in Schola sacrif. Diss. 9. S. 9498. & seq.*
 Accedit 4. *testimonium Jesuitarum Estij in h. l. p. 38. Salmer. l. c. p.*
374. Greg. de Val. T. 4. Diss. 1. q. 1. p. 5. col. 68. ubi ex h. l. propter
remissionem precedentium peccatorum; probat fidelibus etiam V. T.
 remisisse Deum peccata ex obligatione justitiæ. 5. quia confir-
 mat illam orthodoxorum thesin, *eundem Justificationis modum &*
easdem causas obtinuisse in V. & in N. T. Summatim; hæc expositio
 promanat ex omnibus Scripturis (*Ebr. 9. 15. Act. 15. 11. & c.*) con-
 gruit cum omnibus Scripturis, & ea admissa, singulæ
 Scripturæ cum singulis concordant.*

MEMBRUM

MEMBRUM II. exhibens

Sensus hactenus asserti vindicationem à corruptelis

I. PONTIFICIORUM, Cornel,

à Lap. Estij, Majeri &c.

I. Cur D. Apost. v. 25. & 28. Fidei justificationem
tribuat?

§. 27. Gemina &, nisi fallor, solidaratio desumi potest è § 18 19. Jesuitæ excogitant alias. Sic enim Majer. *Controv. i. c. 4. p. 30. Apost. Paulus*, inquit, *in 4. Epist. ad Rom. Phil. Gal. Hebr. solius fidei ferè semper facit mentionem, quia dum illas scriberet, precipuus ejus labor atq; industria versabatur, ut infideles vel saltem à recta fide declinantes ad Christi fidem adduceret, quare & tunc fidem solum urfit. Estius in Comm. b. l. p. 40. præter tres rationes quas sibi communes voluit cum Concil. Trident. sess. 6. c. 8. superaddit duas peculiare: 1. quia fides impetrat justificationem & quoadantenus eam meretur. Hac enim ratione dictum est peccatrici: Fides tua salvam te fecit i. e. à peccatis justificavit. Etenim fides, ut hîc accipitur, est opus Deo gratum, idemq; primum cujus intuitu cætera donantur, quæ unq; ad justitiam & salutem hominis pertinent. 2. quod in fide magis quam in aliis actibus Deo placitis appareat & manifestetur hominem non propria virtute sed merito Christi gratis justificari.*

§. 28. Resp. Majeri sive thesin seu hypothesin, Apostoli laborem & industriam in hoc versatam fuisse, ut infideles vel à recta fide declinantes ad Christi fidem adduceret in 4 illis Epist: maxima ex parte falsam, & quoad cætera dubiam esse colligitur ex inscriptione, occasione, argumento, collatione circumstantiarum & chronologica supputatione. Scribebat enim ad fideles & conversos. I. Romanos, quod elicitur (1) ex inscriptione c. i. v. 7. ἀγαπητοῖς θεῶν, κλητοῖς, ἀγίοις; nec cum fidelibus simpliciter talibus negotium illis erat, sed cum ejusmodi, quorum fides efficax per charitatem toti orbi innotuerat v. 8, conf. v. 12, (2) ex calculo chronologico. Innuat Apost. c. 15 v. 25. se scripsisse Epist. cum institueret profectio-

mem, quæ ordine tertiâ ab aliis numeratur, versus Hierosolymam,

D 3

de

de qua ipsa sermo ei est *Act. 20, 22 & seq. Ann. Epochæ Christianæ*
na 51, Claudianæ. 12. supputante *Capello in Historia Apostolica p. 76.*
 multis vero retro annis fuisse conversos Romanos ad Christi fidem
 docet exemplum *Aquilæ & Priscillæ Act. 18.* hos enim una cum
 cæteris Judæis circiter 9. annum *Claudij* ex urbe, edicto publico
 ejectos esse testis est *Joseph. lib. 17. antiq. Jud. c. 12. Vid. B. Chem.*
Exam. p. 1 p. 30. Flacius tract. 2. part. 2. Cl. pag. 198. Balduin.
in Proleg. p. 23. (3) ex Jesuitarum confessione Erius in Proleg. Epist.
ad Rom. Nata est (ocasio) ex contentione qua Romæ inter Judæos
& gentiles utrosq; fideles exorta fuerat. Idem in arg. 1 ad Cor.
Quemadmodum Epistola ad Romanos & cætera omnes, ad Ecclesiam
gentilium missa, fideles utriusq; populi suis inscriptionib. comprehen-
dunt. Salmeron. T. 13. lib. 2. Disp. 7. p. 298. ad verba ἀγαπητοῖς
καλητοῖς, ἀγαπίοις: Observa. inquit, tres illas voces, non esse participia
sed nomina in lingua Græca i. e. amicitis & vocatis ijs, ut sic dicam vel
ascititijs & non adjectivè sed substantive sanctis: quæ quidem nomina
rem non temporaria & facile transeuntis actionis, ut participia signifi-
cant, sed rem stabilem & permanentem, ut nomina substantiva, quæ
habitum statum & exercitium sonant, amicitie, vocationis & sancti-
tatis. II. Philippenses; deducitur hoc (1) è scopo, qui ut colligitur
ex singulorum Capp. analysi, erat, ut non primitus tanquam infide-
les imbueret sed pridem imbutos confirmaret in fide, jam perce-
pta, accepta, audita vid. cap. 4. v. 9 (2) ex supputatione. Hac e-
nim Epist. fatente Salmerone Tom. 13. lib. 1. Disp. 4. p. 11. scripta
est in vinculis quorum meminit c. 1. v. 13. anno Æræ Christianæ
56. Epochæ Neronis 3. supputante Capello l. c. p. 77. multis autè retro
annis in Asia Philippis commo. atus Philippenses infide instituerat
Act. 16 (3) ex concessione Est j; in Argum hujus Epist. statim initio, in-
quit, laudat eorum fidem & ad profectum ac perseverantiam adhor-
tatur. III. Galatas: Etenim licet isti à fide declinaverint, non
tamen declinaverunt à fide illa Papistica in nuda notitia & assen-
su consistente quoad Christi dicta, facta, passionem, & reliqua
quæ in Scripturis narrantur, sicut non obscure ex hac Epist. passim
colligitur; sed à fide justificante, quæ, ob neglectum discrimen Legis
Evangelij, non poterat non labefactari, eo fere modo quo Papi-
ste ob discrimen illud sublatum à fide deslexerunt. IV. Ebræos.
 Probatur

Probatur (1) ex occasione quæ indigitatur c. 2 v. 1. μή ποτε περιπα-
 ρησάμεν ne effluant fide conversis, quæ ex traditione vivæ vocis ac-
 ceperant. Vid. B. Chemn. part. 1. Exam. de Epist. apostol. p. 34 S.
 Adamus Flac. in Prefat. hujus Epist. Isti Judæi fidem historicam
 ad huc integram habebant, sed suas ceremonias Sacerdotium
 Leviticum simul magni faciebant & sic Christum & Moysen, Sion
 & Sina conjungebant. (2) ex ratione chronologica. Hæc Epist.
 fuit exarata ante excidium Hierosolymæ à Romanis illatum ut ob-
 servat & de dicit B. Gerhard. in Prolog. in specie si Capello pag. 80.
 fides, anno 56. Æra Christianæ & 4. Epochæ Neron. Ante quod tem-
 pus instituti erant in lex istis Christianæ doctrinæ elementaribus
 cap. 6. v. 2 etiamnum in toto catechismo primarijs capp (3.) ex te-
 stimonio Estij: Cum ad eos scribat, inquit, in Argum. p. g. 896 qui in
 Christum jam crediderant, ejusq; causa multas, ut dixi, persecutiones
 passi fuerant, non id agit hac Epistola, ut eis persuadeat Jesum esse
 Christum & Salvatorem in lege promissum sed ut ostendat quo loco sit
 ab eis habendus, quod ejus officium & quale Sacerdotium.

S. 29. Quod Estij rationes concernit. Resp. ad 1 denuo con-
 fundi considerationem fidei absolutam, quæ hic exulare debebat,
 cum relativa. Priori modo fidem nec aliquid impetrare, ne-
 dum justificationem, nec cujuscumque rei meritoriam esse supra pro-
 batum. § 18. Posteriori modo non tam operando quam recipien-
 do justificare, evictum §. 18 Hæc fidei acceptio Luc. 7. v ult. omni-
 no tenenda est, concordat enim 1. cum parabola totius à Chri-
 sto propositæ explanatione. 2. cum applicatione. 3. cum voce
 remissionis ut ex analysi patet. Contra fides, tanquam opus & ha-
 bitualiter, ut Estius contendit, spectata, elidit & eludit. 1. parabola
 explanationem: Inducuntur enim debitores μή έχοντες ἀποδοῦναι,
 v. 24. introducitur Dominus s. creditor non ex obligatione sed ex
 gratia debitum remittens, ἐχαρίσατο 2. applicationem v. 47 ὡ ὀλί-
 γον ἀφίεσαι, ὀλίγον ἀγαπᾷ; itante enim expositione Estij, mu-
 lieri minus remissum esset, quia ejusdem fides tanquam meritori-
 um opus, ad remissionem obligasset, & tamen non minus dilexit
 juxta infallibile Christi testimonium v. 47. 3. Christi epiphone-
 ma Fides tua salvam te fecit; huic enim ex mente Estij hæc æqui-
 pollet propositio; opus tuum Deo gratum te à peccatis justifica-
 vit. Ad 11. Si Jesuita intelligat fidem relativè spectatam, con-
 ceditur

ceditur in fide non magis sed unice manifestari, hominem non propria virtute sed Christi merito gratis justificari; per hanc enim, sive quod eodem recidit, per hujus legem exclusa est gloriatio Rom. 3. v. 27. sin contra obtrudit *habitualement* quatenus opus est Deo gratum, tantum abest ut in ea manifestetur, quin magis obscuretur, hominem Christi merito gratis justificari: sic enim gloriatio non excluditur sed includitur, quia ab *Estis* fidei meritum quoddam affigitur. Nec aliud quid, post *Concilium Trid. Estius, Cornelius* & reliqui Jesu tæ, agunt quam ut ubique confirmet & in crustent *Sententiariorum* ex Philosophia & Theologia commissa invicem & commixta placita de merito congrui & condigni, nisi quod exosos quodlibetiariorum istorum terminos occultent & ad *stylum Paulinum*, salkem quoad syllabarum ac soni articulationem (à significatione enim quam maxime abhorrent) sese attemperent. Simile artificium vel recte us vitium in *Socino* ejusdemque sequacibus *Arminianis* reprehendunt *Censores Leidenses* in *Censura Conf. Remonstrant. c. 10. p. 143.*

II. An Apost. v. 24. voce *ἔργων* v. 25. *δικαίως πιστῶς* excludat omnia opera ab actu justificationis?

§. 30. Pluribus istud assertum & confirmatum *memb. 1. §. 6. 18. §. 19.* Excipiunt i. post *Lombard. in Com. Rom. 3. Virves. Philip. 3. §. 6. Renatum Benedict. in Panoplia* (ap. B. Gerhard. *Conf. Cathol. lib. 2. part. 3. art. 23. c. 3. Chamier. T. 3. Parstr. lib. 21. c. 9. §. 9.*) *Majer. in synopsis. Conterov. 1. Corn. à Lap. Comm. b. l.* intelligi præcipue, circumcidere præputium, lustrare se aqua lustrali, offerre victimas pro peccato. Nam loquitur de ea Lege, pergit *Cornel. quæ opponitur fidei; dei fidei autem propriè non opponitur decalogus, sed lex ceremonialis, quia figura erat sicut fides veritas, figura autem & veritas opponuntur.* Id ipsam porro probat ex v. 28. 30. 31. concludit postea: *Ex quibus omnibus liquet; Apostolum hinc præcipue agere de lege, quæ tanquam umbra & figura opponitur fidei, tanquam veritati & corpori, ac consequenter opera legis vocari ab eo legis ceremonialis potius quam naturalis & moralis.* Verum *Cornel.* hac vice non eas, quas sibi fixit, interpretis leges de *Encom. Script. sect. 1. n. 49 p. 13.* explevisse statim patebit.

§. 31. *Falsitas hujus opinionis demonstratur i. excellatione,*

tum

eum antecedentium; Loquitur enim de ea lege (1) per quam est
ἐπίγνωσις ἀμαρτίας c. 3. v. 20. (2) qua non os Judæorum sed
πάν ἑσόμε φραγή v. 19. (3) qua non sola Palæstina, ubi vigeat
 lex ceremonialis, sed *πᾶς ὁ κόσμος ὑπόδικος γένηται τῷ θεῷ*: tum
consequentium; Pronunciatur enim de ista lege, quod *ὄργην κατεργάσθηται* c. 4. v. 15. quod dicat *ὅτι ἐπιθυμήσεις* cap. 7. v. 7. quod per
εἰς τὴν ἁμαρτίαν γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἀμαρτωλὸς ib. v. 13. II.
ex visceribus textæ: stante *Cornel. & Maj.* expositione sequere-
 tur (1.) intelligendam esse remissionem peccatorum v. 25. non
omnium quæ cap. 1. 2. & 3. attigerat, sed solum eorum quæ sunt
 contra II. ceremoniales; qualis enim lex tale peccatū, quale pecca-
 tum, talis remissio; & consequenter, non de *Judæorum & Gentilium*
 ad quos sermonem direxerat, sed *solum Judæorum* utpote, qui soli
 ad legis ceremonialis observantiam tenebantur, & in eandem de-
 linquere poterant (2) peccata Patriarcharum ante *Abraham & Mo-*
sen, quia non erant contra L. ceremonialē non fuisse remissa quæ
 tamen omnia voce *περὶ γεγονότων* venire §. 25. confirmatum est.
 (3) Christum à Deo fuisse constitutum *ἰλαστήριον* v. 25. non pro
omnibus injustis & peccatoribus, sed solum pro *Judæis*; nec pro his
absolutè sed saltem *quat. in lege ceremoniali deliquerant*. Sum-
 matim *ἀπολύτρωσιν* v. 24. & *ἰλαστρον* v. 25. nihil aliud esse quam
 abrogationem legis ceremonialis & absolutionem peccatorum in
 eam commissorum, h. e. redemptionem non esse redemptionem
 Deum esse tantum *Judæorum*, Deum, non etiam *Gentium*, contra
 c. 3. v. 29. item redemptionem non fuisse necessariam cum leges
 ceremoniales *extrinsecus* sive Christo potuissent præstari exemplo
Phariseorum & Judæorum, iniquissimorum Legis transgressorum,
Prophetarum & Christi homicidarum. III. *ex testimoniis Adver-*
sariorum. Præter ea quæ adducuntur à *Chamier. T. 3 Panstrat. l. 21.*
c. 10. D. Gerb. lib. 2. confess. Cath. part. 3. art. 23. c. 3. p. 649. & seq. no-
 tandum est testimonium (1) *Salmeron. T. 13. lib. 2. Diss. 25.* Hic
 postquam rationibus quinque opinionem de Legis ceremonialibus
 operibus impugnaverit, tandem concludit: *Ubi cunq; ait Paulus*
neminem per opera legis justificari, vel gratiam opponit legi, non tan-
tum ceremonias complectitur sed etiam moralia & universa cujus-
cunq; generis officia sive natura sive scripta legis. (2) *Estij, in Ar-*
gum.

gum. Epist. ad Ebr. Harum trium (Rom. Gal. Ebr.) inquit, Episto-
 larum, unus generalis scopus est docere veram justitiam non ex lege
 sed à Christo per fidem esse petendam. Caterum id docent secundum
 diversas partes. Nam Epist. ad Rom. ex lege morali i. e. Decalogo
 hominem justificari negat & c. Idem in Rom 3. v. 20. p. 39. De diffe-
 rentia legis & gratia tota Pauli Disputatio est, legis, inquam, moralis,
 quemadmodum ostensum est supra ad v. 20. Lex igitur operum est lex
 Decalogi sine cujus operibus mox affirmat hominem justificari per fi-
 dem. Idem in eam quam Cornel. & Major. amplectitur, exposi-
 tionem invehitur in Com. Jacob. 2. v. 21. p. 116. (3.) Menochij in
 Jac. 2. 23. asserentis Paulo in ea Epist. propositum fuisse, docere nec
 gentes nec Judæos per opera moralia vel per observationem legis Mo-
 saica ad veram justitiam pervenire posse.

32. Caterum ratio, cui tantam *ψευδευγείας* molem super-
 struit Cornelius est nimis infirma. Loquitur, inquit, de ea lege, quæ
 opponitur fidei. Subsumo; non tam lex ceremonialis (hæc enim tan-
 quam figura & typus, veritati & antitypo rectius subordinari quam
 opponi dicitur, cum, dicente B. Chemn. in plerisque; nihil aliud fuerit
 quam Judæorum Evangelium, & juxta Becan. Theol. Schol. p. 2.
 tract 3. c. 4. duret adhuc licet non quoad significationem attamen
 quoad rem significatam Conf. Abarbenel apud Const. L. Empereur
 in Talmudis Babylonici Codice Midaoth cap. 3. sect. 8.) quam moralis
 seu Decalogus opponitur fidei, h. e. interprete Salmerone l. c. Diss. 29.
 p. 379. doctrinæ Evangelicæ. E. Major. est Cornelij Minor nota est
 ex doctrina de discrimine Legis & Evangelij, clave illa totius Scri-
 pturæ & Theologiæ; Opponitur enim utrumque non tantum se-
 cundum accidentalia sed etiam secundum essentialia, ut patet ex in-
 ductione quatuor Causarum: 1. ratione objecti: Lex dicit: Hoc
 fac. Rom. 3. 21. c. 4. 5. c. 10. 5. Gal 3. 12. Evangelium; Si credideris
 ab. 2. ratione subiecti: Lex respicit hominem integrum; Evang. ho-
 minem ex integritate lapsum sive peccatorem 2. Cor. 5. 19. 3. Media-
 toris: quæ lex per Moysen data, gratia & veritas per Christum Job. 1.
 17. Conf. Ebr. 9. 15. c. 3. v. 5. & 6. 4. finis & Effectus; quæ illa Dei
 justitiam strictam, hæc eandem sed in Christo temperatam illustrat
 Rom 3. v. 25. 26 illa peccatorem arguit & terret. Rom. 3. 20. Hoc
 eundem vivificat Esa. 61. 2. illa est littera occidens Col. 2. 14. 2. 2. Cor. 3. 6.
 Hoc

Hoc est spiritus ministrans Rom. 5. 29. Vid. plura apud B. Chemn. L. de Evang. memb. 3. Flac. part. 2. Cl. tract. 6. de velamine Moysi Item. p. 1. voce Lex col. 544. B. Gerb. Tom 3. L. de Evang. S. 54. & seq. Addi potest Arminius Diss. publ. 12. tb. XIII. Salm. l. c. Diss. 29. Nec obstat haec assertio oppositioni v. 31. cap. 3. ubi dicitur legem stabiliri per fidem, quippe quod intelligendum est tum ex parte adhuc justificandorum, quibus fides ostendit Christum, ad quem utpote exactissimum observatorem, Lex velut pædagogus manuducit; item, quatenus unusquisque credens applicatione satisfactionis & obedientiæ Christi poenæ & culpæ debitum persolvit, adeo ut obedientia exacta, quam flagitat, à credente imputativè præstetur; tum ex parte jam justificatorum: Hi enim non propriæ voluntatis sed legis dictamen exequi, licet imperfectè, incipiunt; tum aliquando glorificatorum: Fides enim remittit ad statum glorificationis in quo citra defectum, quæ à justificatis ob legem membrorum legi mentis *ὀφειλόμενον* Rom. 7. 23. præstari non poterant, absolutissimè præstabuntur.

§. 33. Excipit II. præter eos quos citant B. Gerb. & Chamier II. cit. Estius Jesuita in Com. p. 39. excludi opera saltem non renatorum. Non igitur, inquit, opera simpliciter excluduntur à negotio justificationis sed opera fidem præcedentia vel non à fide profecta, quantumvis ad lumen insita rationis lucerna legis scriptæ accesserit. Nam quod ad opera vere bona ac salutaria attinet, tenendum prorsus quod in sua Epist. docet Jacob. c. 2. ex operibus &c. Verum nihil amplius, præter antiquum istum coccysmum jam pridem à nostris solidè refutatum, ingeminat Estius: Vid. B. Chemn. in Exam p. 1. Art. de Justif. p. 134 & seq. Hann. qq. & resp. de Justif p. 125. & seq. Flac. p. 1. cl. voce opus. Gerb. T. 3. de Justif. S. 151. & seq. Meisner. Diss. 27. Anthr. q. 2. cl. 2. Chamier t. 2. l. 21. c. 11. & lib. 22. c. 2. Sufficiat Estij *παρεsequεντων* duobus argumentis altero ex Estij hypothese, altero ex contextu petito refutasse: 1. Quæcumq; opera excluduntur ex actu prædestinationis, ea exulant à foro justificationis: Atqui omnia opera renatorum & non renatorum excluduntur ex actu prædestinationis. E. Major patet ex ordine graduum, quibus nos ad salutem deducit Deus Rom. 8. 29. 30. Discreparet enim salutis initium à medio, decretum ab ejusdem executione. Minor.

ex Rom. 9. 12. ubi n. Estius p. 111. colligendum relinquit Apost. neg. electionem hominum ad aeternam salutem neg. reprobationem. esse ex ullis operum meritis, sed Deum ex solo sua voluntatis arbitrio (nota hic manus & cucullum Papistæ sed vocem Calvinistæ) alios eligere ad salutem, alios autem reprobare. Eadem vid. in Rom. 11. v. 33. 11. ex contextu. Nam c. 4. (1) Abrahæ, cujus in medio bonorum operum curriculo constituti (teste Ebr. 11. & juxta calculum Ariamontani in Chronologia jam tum decennio ante) à Deo in gratiam recepti & justificati, operibus manifestè adimit & detrahit laudem & gloriam justificationis v. 2. & 3. (2) remouet opera renatorum testimonio Davidis loco & nomine omnium Prophetarum. Hic etiam tunc, cum Dei seruus esset h. e. per Spiritum S. renatus & sibi & operibus suis detrahit justificationem coram Deo c. 4. v. 7. Conf Ps. 143. 2. Addi posset exemplum ipsius D. Pauli qui sibi, nihil conscio, imò omni bona conscientia conuersanti Act. 23. & 24. nihilominus derogat justificationem 1. Cor. 4. 4.

III. An per δικαιωσθῆναι intelligenda sit iustitia Deo essentialis, an verò iustitia quaedam inhaerens, quâ homo habitualiter est iustus?

§. 34. Prius § 27. est demonstratum. Posterius propugnare conatur Estius in h. l. Ita enim pag. 38. ad verba: ad ostensionem iustitiae: h. e. ut plenam mundo declararet ac manifestam faceret suam, i. e. Dei iustitiam qua scil. homines vere ac coram Deo iusti sunt, & quam non dat nisi Deus: Addit rationes 1. Hæc enim tempore veteris legis non erat manifesta. 2. congruit cum superioribus, ubi dictum est; nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est; ac rursum: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, nec non cum eo quod dictum est c. 1. Iustitia Dei in eo revelatur. 3. omninò (congruit) cum scopo Pauli in hac Epistola? Ut autem facilioris doctrinæ gratia in verso ordine progrediar, respondeo

§ 35. Ad 3. quod non congruat cum scopo Paulino sed eidem quam maximè aduersetur. Hic enim est docere non tantum justificationem esse gratuitum donum, ceu Estius nimis jejune & superficialiter, in Arg. hujus Epist. indigitat: sed hominem justificari gratia Dei

Dei sola, Christi merito solo, fide in istud meritum sola, uti supra S. 2. probatum. Papistica verò illa inhiæsiva tollit gratiam solam & substituit sociam, meritum solum transformat in socium, fidem solam convertit in sociam. Ad 2. non congruere hanc adulterinam exceptionem cum superioribus. Etenim c. 3. v. 21. & 22. differit de justitia Evangelica excludente opera tñ non renatorum, per ea quæ ab Apost. hætenus proposita c. 1. & 2. tum renatorum, per ea quæ ab Apost. exemplo Abrahæ & Davidis c. 4. proponenda. Producit enim hoc & seq. vers. primam rationem suæ thesios probandæ: semper esse unam & eandem justificandi rationem, apud omnes & omni tempore; hujus, inquam, thesios rationem primam petit à tempore N. T. quo manifestatam fuisse contendit. Deinde loquitur de justitia patefacta absque lege; donum v. justit. & infusum, charitas & legis impletio non potest dici patefacta absq. lege sed ex lege c. 10. v. 15. Nec congruit cū c. 1. v. 17. Nam (1) nulla ex tribus quas ipse Estius in istum locum congerit expositiones p. 10. sibi favet, sive intelligat 1. eam justitiam qua Deus ipse justus est & fidelis in promissis. 2. cum Theodoro justitiã Christi hominis, qua nobis salutem & redemptionem promeruit. 3. cum aliis Christum ipsum (2) Salm. T. 13. Diss. XI. p. 314. & seq. easdem expositiones adducit: Primam attribuit Orig. & Ambros. h. l. Hanc vocat sensum bonum, Catholicum & qui propter gravissimos Autores sustineri possit: Nec alicujus momenti sunt, quæ contra eandem allegat. Secundam præterit. Terriam adscribit cuidam Ruperto Tuitiensi, intelligendum esse hunc locum de Christo qui justitia Dei est, & à nobis ut justitia Dei fide apprehenditur & justitia nostra appellatur in V. & N. T. Hunc sensum vocat Catholicum verbis mirificè quadrantem. () hic locus intelligendus est de justitia Evangelica imputata, quam Deus peccatori gratis imputat citra concursum operum. Hujus expositionis veritas deducitur ex coherentia: Ad dicitur enim non ex fide in legem vel in opera sed ex fide in fidem h. e. ex fide infirmiore in fidem firmiorem juxta indolem Scripturæ (Ps. 83) quâ phrasibus similibus rei incrementa significantur; nec minus juxta πὰρὰ φραστὴν Theophylacti, Oecumenij, Saxboldi, Pererij Emanuelis & ipsius Estij adeo ut præter fidem nostram nihil ad hanc justitiam concurrat. Hæc justitia, (quæ est responsio ad 1. dicitur

τὴν ἀποκαλυφθεῖσα ad ostendendam diversitatem status V. & N. T. non ratione *substantiæ*; quia, quantum ad istius justitiæ & acquisitionem & applicationem, unum & idem pactum fuit nempe Evangelicum, uni & eidem in itens fundamento vid. passioni & mortì Christi, sed quoad *actualem præstat onem & manifestationem*, quatenus illa justitia credentibus in V. T. umbris rituum & sacrificiorum involuta, in N. T. penitus *revelata* fuit, quando agebat cum fidelibus non amplius tanquam cum pueris sicut in V. T. teste Apost. Gal. 4. 1. sed tanquam cum adultioribus filiis quibus cum agere solet Pater familiaris & mentis arcana apertius communecat. Vid. B. Balduin. in Com. Gal. 4. p. 80. Camero Tom. 3. prælect. de Verbo Dei p. 301. ad Ebr. 1. v. 1. Tandem opponi potest Jesuita Jesuita Greg. de Val. qui juxta testimonium Clement VIII. Auditoris sui, Doctor Doctorum audit apud Conzen. lib. 5. Polit. c. 1. n. 4. Iste Greg. T. 4. Diss. 1. q. 1. p. 5. col. 49. probat contra Scotum in 4. d. 15. q. 1. art. 2. Gabr. 3. d. 20. q. un. art. 2. Cajet. in p. 3. q. 1. art. 2. purum hominem non potuisse reddere æquivalentem satisfactionem, ideo quod Apost. b. l. commendat Christi satisfactionem tanquam unicum remedium, quo potuerit satisfieri justitiæ d. vitæ. Menoch. in Comm. b. l. p. 283. diffusus ei, quam Estius propugnat, interpretationi, subjicit: *Veletiam loquitur de justitia vindicativa Dei; nam per hoc Deus justus ostenditur quod Filio suo propter peccata non pepercit.*

II. CALVINIANORUM Piscatoris, Paræi.

I. An ex v. 25. διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ; concludi possit à negotio redemptionis & expiationis excludi obedientiam Christi activam?

§. 36. Ita limpidum veritatis fontem turbavit turbulentus ille Piscator Herbornensis: Ad incrustandum enim suum, quem de sola Christi passiva obedientia homini justificando imputandam defendit, errorem, passim volum. 1. diss. Loc. 15. §. 6. vol. 2. Loc. 7. rh. 15. & in Anal. N. T. inspersum, abusus est cum dictis aliis in quibus mortis & sanguinis Christi nominatim fit mentio, tum verò hoc nostro Paulino, unde concludit: *aut concedendum per passionem & mor-*

Et morte in Christi solam expiata esse peccata nostra, aut Spiritum
 S. imperfectè de causa meritoria remissionis peccatorum nos edocere.
 Quibus aliàs absurditatibus erronea ista opinio prematur, nostri
 instituti non est, fusius persequi. Præstiterunt id ex Nostris BB. Menzer.
 in variis scriptis. Eckardus in lib. peculiari. Gerh. T. 3. L. de Justif.
 §. 60. Balduin. in Com. Rom. 3. p. 3 q. 7. Meiss. D. 24. Anthrop. q. 2.
 D. D. Himmel. Præcept. colend. Diss. 24. Syntag. §. 39. 40. § 54.
 D. Brochm. T. 1. Syst. p. 873. Et Calvinistis, Theologi in Synodo
 Wappinensi An. 603. congregati. Bucan. Instit. Theol. Loc. 31. §. 13. 14.
 15. Polan. lib. 6. Syntag. cap. 36. à p. 2949. ad 2975. Lucius in amica
 disceptatione, quem ad istam controversiam cognoscendam suffi-
 cere judicat alius Calvinista. Henric. à Diest in necessaria instructio-
 ne de ratione studij Th. part. 2. c. 25. Et, ut paucis dicam, dissen-
 tiunt reliqui ejusdem religionis Antecessores & Successores plerique
 in thesi, licet in hypothesi, Nestoriana illa Personæ Christi divulsio-
 ne, & hypostatice, quæ est operum θεανθρωπῶν & ἀποτελεσμαίων
 fundamentum, unionis dissolutione consentiant. Hujus loci est
 specialiora tantum, quæ ad nostri textus vindicationem faciunt,
 adducere.

§. 17. Resp. ergo ad argumentum Piscat: 1. indirectè per in-
 stantiam. Aut concedendum per totam Christi resurrectionem
 contingere justificationem, per ea quæ tradit Apost. Rom 4. 25.
 aut Spiritum S. imperfectè de justificationis causa nos edocere.
 Sed posterus non est E. Prius. Verum prius quoque non esse testatur
 Piscat. in Com. Matth. 5. Christus implevit legem, inquit, tum cere-
 monialem, quæ pro electis mandata est in sacrificium expiatorium,
 tum moralem partim patiando, partim agendo. 2. directè esse usita-
 tam Scripturæ Synecdochen qua interdum activæ Rom. 4. 25. &c.
 interdum passivæ quam vocant, Christi obedientiæ, alterutra semper
 inclusa & subintellecta, justificatio & talis assignatur. Ejusmodi
 synecdoche hic obtinere deducitur. 1. ex contextu: Etenim, si Chri-
 stus Redemptor loco nostri & pro nobis propositum fuit propitiatorium,
 sequitur, quod propositus fuerit non tantum ad suscipiendam pœnam in-
 obedientiæ crimine contractam, sed etiam ad satisfaciendum obedi-
 entia legi debitæ. Sed prius est. Ergo. Connexio majoris patet: quia à
 lege & justitia divina requirebatur duplex satisfactio; altera pro
 commissa inobedientiæ culpa; altera pro contracta pœna. Minor
 est in

est in textu: Additur verò loco nostri & pro nobis; quicquid enim Christus in officio Redemptionis præstitit, illud loco nostri præstitit. II, ex absurdis quæ stante *Pise* sententia in *b. l.* redundarent: Sequeretur enim: Christum non nobis sed sibi esse propitiatorium propositum, imo quia non egebat propitiatione, ne fuisse quidem propitiatorium. 2. redemptionem non esse totalem, sed tantum partialem non à culpa & pœna simul, sed tantum à culpa. 3. justitiam divinam dimidia saltem ex parte fuisse ostensam. III. ex testimonio aliarum Calvinistarum, nominatim verò *Paréi*; Sanguinem, inquit, in *Comm. h. l.* synecdochicè totum sacrificium vocat scriptura, quod in obedientia & statu humiliationis capit: in morte fuit consummatum. Cur autem sæpius Scriptura meminerit sanguinis & mortis Christi, vid supra § 21.

II. *ἢ ἄρα ex v. 25. ἐν ᾧ ἡγάπητο ὁ θεὸς ἰλασθῆριον* peti possit exemplum prædicationis Metonymica?

§. 38. Numerum Metonymicarum prædicationum, quas ex variis V. & N. T. locis pro adstruenda reali corporis & sanguinis Christi in SS. Cœna à Symbolis distantia & absentia, Calvinistæ elicere hætenus conati sunt, augere voluit *Paréus* in *Comm. b. l. p. 292.* Christum, inquit, vocat *כֶּרֶם* propitiatorium illud aureum, cur? quia docere vult Christum per illud fuisse præfiguratum & placationem promissam in figura verè præstitam in re figurata. quæ est Christus. Est igitur phrasis metonymica sacramentalis: Christus est *ἰλασθῆριον* i. e. significatus per *ἰλασθῆριον*.

§. 39. Resp uti nullum exemplum prædicationis metonymica, in qua Est accipitur pro significat, ex ullo scripturæ loco erui potest, ita nec ex *b. l.* pro istarum prædicationum analogia pugnare licet. Deduco hoc 1. ex indubia Calvinistarum hypothesis. & produco eorundem est Goliath Chamier. in *Panstrat. Tom. 4. l. 10. c. 4.* quem ex multis unum sufficere censet *Henr à Diest.* (in *Necess. instruct. de R. Stud. Th. part. 2. c. 25.*) Calvinistæ Religionis sive cultori seu propugnatori. Copula Est, inquit, aliàs propriè inducitur, aliàs figuratè. Propriè seu ὑπαρχτικῶς & substantivè realem designat copulationem terminorum; cum figuratè seu impropiè, tunc designat existentiam non realem sed per quandam analogiam: Circumcisio est fœtus Catholici in hoc negotio τροπικῶς intelligunt, ut sit Est pro significat sive est signum, est sacramentum. Subsumo: In hac enunciatone

tione: Christus est ἱλαστήριον, τὸ Ἔστ non exponi potest per significat, est signum, est sacrificium. E. Minor probatur i. ex tacita confessione Patris: Hic enim propositioem ante citatam resolvit non in hanc: Christus significat ἱλαστήριον, sed in istam: Christus est significatus per ἱλαστήριον. 2. ex insigni, quæ inde resultaret, absurditate; Stante enim hac ἀναλύσει Christus significat sive est signum, est sacramentum ἱλαστήριον, sequeretur Christum esse ignobiliorem ἱλαστήριον, quia signum ignobilis est signato; Christum esse umbram, ἱλαστήριον corpus, & ne quid gravius dicam, N. T. transformaretur in Vetus. II. ex ψευδομηνείᾳ Patris, qua manifesta vis textui inferitur: Non enim dicitur Christus est propitiatorium, sed Deus proposuit propitiatorium. III. ex universa linguarum & idiomatum indole, quæ respuit acceptionem τὸ Ἔστ pro significat. Nec recentiores propositioem metonymicarum Patroni, Camero Tom. 2. in Matth. 18. v. 8. & 9. p. 402. & 403. Tom. 3. opusc. Misc. p. 514. Constant. L'Empereur in ὁδοιπορίᾳ p. 52. & 53. dignum inveniunt effugium quod quærunt vel in consuetudine loquendi, vel in defectu vocis significat, quasi Ebraei & Syri olim destituti fuissent, sunt verba Empereur, voce quæ denotaret significat; Cujus assertionis falsitatem evincit ἀντιψία tum LXX Interpp. quos vide in Kircheri Concord. voce לְהַלֵּךְ וְלִי וְלְכָל הָעָם וְלְכָל הָאָרֶץ tum Codicis Syriaci N. T.

III. PHOTINIANORUM Socini, Smalcij, Volkelij.

I. An ex v. 25. ὃν ᾤχεθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον, veritas Satisfactionis probari possit?

S. 40. Affirmativa S. 16. fuit propugnata. Excipit i. Volkelius in tractatu Rhapsodo de V. R. l. 5. c. 22 p. 575. Quod Christus, inquit, placamentum, seu propitiatorium Græcè dicitur ἱλαστήριον, satisfactionem illam minimè constituit. Subjicit rationes duas: Primo, inquit, locus in quo nomen istud Christo tribuitur (Rom. 2. 25.) apertissime de gratia Dei peccatorumq; condonatione agit, eamq; in omnes Christo fidem adjungentes summa Dei liberalitate conferrì docet. Deinde Apostolus in ea appellatione ad arcæ operculum omnino videtur alludere, quod similiter à Græcis V. T. interpretibus ἱλαστήριον seu propitiatorium appellatum fuit, non quod Deum iratum populo Israëlítico placaret, sed, quod Deus eo in loco responsa populo dabat, quodq; fieri ab illo vellet per Moysen significabat, & porro benevolentiam suam erga eundem declarabat, id quod optime in Christum quadrat, utpote

F

per

per, quem Deus voluntatem suam nobis aperiendo sese placatum seu propitiū & nostri valde amantem præstitit.

§. 41. Priusquam has rationes diluam, pro veritate Satisfactionis ex h. l. ita argumentor: In quocunq; loco agitur. 1. de eo, qui satisfacit. 2. cui satisficit. 3. pro quo satisficit. 4. de pretio quo satisficit, ex eo satisfactionis veritas firmiter demonstrari potest. Atque h. l. agitur de eo qui satisfacit v. 24. ἐν χριστῷ Ἰησοῦ v. 25. ὃν παρέθετο ὁ θεὸς ἰλαστήριον. 2. de eo cui satisficit. v. 25. ὁ θεός: εἰς ἐνδείξιν δικαιοσύνης 3. de isto pro quo satisficit. 24. δίκαιούμενοι v. 24. ἀμαρτημάτων. 4. de pretio, quo satisficit v. 25. ἐν τῷ αὐτῷ ἁματι. E. Conf. quæ supra §. 11. allata sunt pro redemptionis proprietate salvanda. Hoc argumento præmissio Resp. ad 1. distinguendo (1) inter justificationem & peccatorum remissionem consideratam à parte Christi & à parte nostri: A parte Christi satisfaciens non est gratuita sed juxta summam justitiæ rigorem & dictamen meritoria; à parte nostri sic est gratuita ut nullo modo sit meritoria, nec ratione acquisitionis, nec applicationis nec plenarie consummationis. (2) inter condonationem peccatorum (idem potest accommodari ad gratiam) absolutam quæ absoluitur absq; omni satisfactionis pretio; & inter condonationem conditionatam ac limitatam quæ innititur pretio sive ab eo, cui debitum condonatur, vel ab alio solvendo; de hac non de ista D. Apost. loqui patet ex hætenus adductis. Vid. D. Stegm. Photinian Diss. 31. q. 2. Confundit ergo hæreticus quæ sunt distinguenda & opponit subordinata, Vid. Exc. D. Hulseman. Diss. solenn. de satisf. punct. 2. §. 6. Deinde, si Volkelij verba non nihil exactius perpendantur, deprehenditur ipsum cui patrocinari videri vult, De gratiam penitus tollere & abnegare. Nam qui opera remissionis peccatorum causam ponit, Dei gratia tollit juxta Rom. 4. 4. Rom. 11. 6. Atque Volckelius, dum h. l. fidem requirit, bona opera causam justificationis efficit: Nam inter fidem justificantem, sunt verba Socini Synops. 2. de Justif. p. 136. & bona opera nullam, nisi ratione intellectus differentiam constituo. E. Ad II. Resp. (1) ex dictis §. 16. ἰλαστήριον V. T. assimilari Christum non tantum ratione officij Prophetici, quo tendunt verba Volck. sed etiam & quidem cum primis ratione Sacerdotalis tum quoad acquisitionem tum quoad applicationem spectati: Nec enim simpliciter dicitur constitutus ἰλαστήριον, sed antitypi excellentia præ typo asseritur per seqq. διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτῷ ἁματι: vid. supra

suprà §. 16. & seq. ad 21. (1) Posito sed non concesso, propitiato-
rium præcisè non representasse Christum ratione Sacerdotij & satisfac-
tionis, adhuc tamen satisfactionis veritas obtineret; etenim non
solum propitiatorium, sed etiam sacrificia coram eodè in conspectu
Dei repræsentabant Christum non Prophetam sed Sacerdotem non
typicum, sed antitypicum, utpote pro hominũ peccatis moriturum.

§. 42. Smalcus in Catech. art. 5 c. 8 tria contra orthodoxam
hujus loci explanationem excipit. Das daraus (Rom. 3. 25.) keine
gnugthuung könne bewiesen werden/ist erstlich daraus offenbahr/
daß Gott selbst den Herrn Christum zum Gnadenstuhl fürgestellt
hat. Secundã exceptionem quam communem habet cum Volkelio præ-
termittit. Endlich ist es weit ein ander ding/ jemand versühnen/ als
für jemand gnug thun/ sintemal der/der da versühnet wird von sei-
nem Recht/viel nachgeben kan/ aber der/dem man gnug thut/ tritt
nichts davon ab.

§. 43. Resp. I. Generaliter, committi denuo, non secus ac in
aliis nostræ Religionis mysteriis oppugnandis, transitum de genere
in genus. Philosophatur enim Smalc. de mystica & ab origine mun-
di abscondita satisfact. one, perinde ac de satisfactione quadam
civilis; nec veretur satisfactionem, ut ita loquar, summè transcenden-
talem è predicamentalis indole mensurare & æstimare. II. Speciali-
ter ad primum confundi satisfactionem civilem & corporalem, cum
mystica & spiritali; in civili fere, licet non in omni, ille cui satisfit,
satisfactionis pretium constituere & exhibere non solet, præsertim
quando spectat, lucrum & accessionem ex pretio, secus fit in spiritali:
Nec n. Deus iudex spectat lucrũ aut accessionem ex pretio, sed justitiæ
& veritatis incolumitatem. Quanquã & hoc pro accessione reputari
possit, quod fecerit ad ἐνδειξιν τῆς δικαιοσύνης qua peccantes digni
judicantur morte Rom. 1. 32. Adde & Veritatis; qua peccantes mor-
te damnaverat Gen. 2. 17. Ad secundum (1) ex hypothese ipsius Smal-
cij esse petitionem principij; Petitionem principij esse dico, inquit
Smalc. lib. uno de Christo Pref. ad Lect. cum quis argumenta alicujus
ex principijs quæ non sunt communia utriq; parti solvit. Atqui hoc
principium ex quo solvere conatur nostrum argumentum, non
est nobiscum commune. Item Socini in Lib. de Autor. Script. (quem
Autor Prefat. commendat tanquam εἰσαγωγὴν ad universam μα-
τασολογίαν Photinianam) Quod ad rationes, inquit c. 1. p. 15. atti-
net, hæc nimis fallax est via in re, quæ ex satisfactione divina pendet,

qualis est Christiana religio. Atqui veritas satisfactionis est res ta-
lis &c E. Adde Autorem Præfat. Enjedin. In re tam ardua, inquit,
non humanis ratiocinationibus, sed imprimis expresso opus est Verbo:
juxta illud: Ad legem & ad oraculum. (2) satisfactio & propitiatio
consideratur dupliciter, vel quoad modum significandi & concipiendi
quo pacto aliquod discrimen admittendum, fundatum non in ipso
objecto extrinseco in quo nullum conceditur, sed in diversitate con-
ceptuum formalium; ista dicit respectum ad eum qui satisfacit & il-
lum cui satisficit & istum pro quo satisficit: hæc ad illum qui expiat, &
illum qui expiatur &c. vel quoad rem significatam & conceptam; sic
negodiscrimen esse h. l. inter satisfactonem & propitiationem.
Ratio negationis desumitur ex identitate causarum & requisitorum
ad utramq; concurrentium, de quibus §. 14. & 41. Nec falsitate sua
caet Ratio à Smalcio adjecta: illum, qui reconciliatur, multum posse
de jure suo remittere. Dist. enim est inter forum humanum & divi-
num In foro humano læsus vel reconciliandus potest remittere de
jure suo, & ne sic quidem absolutè sed conditionatè in certis casibus
1. circa delicta ex infirmitate seu imbecillitate profecta; Tunc enim,
non tantum septies sed insuper septuagies septies condonare tene-
tur Matth. 18. 21 2. circa graviores, etiam scandalosum lapsum, hæc
tamen conditione, ut fratrem nondum resipiscen- tem coram aliis
objurget, aut Ecclesiæ indicet Matth. 18. 7. 1. Cor. 5. 11 3. de jure indif-
ferenti indeterminato, nullis vel naturæ, vel justitiæ vel legis, cujus vi-
gore ad persecutionem obligaretur læsus, circumscripto & definito.
Contra in reliquis casibus remittere nequit. Tunc enim Deus non
concedit libertatem, sed sub interminatione gravissimæ pœnæ sua-
rum legum & constitutionum executionem injungit, ut patet ex
epilogo Legis Deut. 27. 26. in quo maledicti proclamantur, qui non
statuerint verba Legis, inter quæ recensentur & illa de improbis ad
supplicia rapiendis. In foro divino aliter se res habet, ubi præsidet non
Magistratus aliquis inferior, qui circa leges à se conditas dispensare
potest: sed summus Judex, qui citra pretij æquivalentis interven-
tum nec reconciliari nec de jure remittere potest, 1. ob sibi essentia-
lis justitiæ immutabilitatem. 2. ob veritatis infallibilitatem Gen. 2.
Morte morieris. 3. ob intemeratam legis auctoritatem. Vid. B. B.
Meisn. Dissp. 26. Anthr. §. 32. Franz. Dissp. 17 Schol. Sacrif. §. 64. 71. &
seq. Gerhard. L. de Justif. §. 47. Stegman. Dissp. 22. Photin. q. 3.

II. An

II. An justitie divine de qua b. l. sermo, proprium
sit peccata punire?

§ 44. Affirmativa supra §. 23. tribus rationibus est evicta: Photiniani, ne cogantur admittere redemptionem & satisfactionem propriè dictam, impudentissime negant hanc justitie notionem, eò impietatis tandem delapsi, ut asserant (uti misericordiam ita) justitiam esse effectum voluntatis Dei, & in Scripturis appellari modo iram, modo severitatem. Catech. Racov. c. 8. p. 266. c. 1. p. 28. ex Socin. prælect. c. 16. p. 87. Item de Servat. p. 1. c. 1 p. 3. Smalc. in Ref. lib. de satis. G. c. 1. p. 155. & c. 11. p. 230. Idem hæreseos crimen quod impingit Remonstrantibus N. Bodecher in Lib. qui inscribitur, Sociniano Remonstrantismus c. 2. §. 7. p. 24. suspicantur Censores Leydenses cap. 2. sect. 11 p. 45. Nec iniquam fuisse suspensionem testis est Apologia Remonstr. Exam. cens. c. 2. sect. 11 p. 46. (b) ubi pro se Piscatorem, Vorstij ratiunculis seductum verius quam inductum, allegant. Nominatim Ostorod. & Catech. Racov. l. c. ita ex b. l. concludunt: Justitie Dei tribuitur remissio peccatorum. Addunt 1. Job. 1. 9. E justitie divine non est proprium punire peccata. Resp. committi fallaciam compositionis & divisionis; Conjungunt enim ea quæ in textu sunt disjuncta & disjungunt in eodem conjuncta: Nam conjungit D. Apost. justitiam non in tantum cum remissione peccatorum, sed etiam cum redemptione per Christum præstita, per quam istam, ostentam & declaratam esse docet, scil. ut innotesceret in Deo esse essentialem justitiam, qua naturâ suâ odit & punit peccata, quæ, ut remissio peccatorum subsequi posset, prius per satisfactionem conciliari debuit. Locus 1. Job. 1. 9. non favet Photiniani sive per justitiam intelligatur Dei veritas, ut posterius (δικαιος) sit ἐξηγητικὸν prioris (πίστος) sicut exponit Flacius & Estius in Comm. b. l. sive benignitas, (Ebraum enim פִּיָּס & Græcum δικαιοσύνην in & de se indifferens esse ad utrumq; significatum supra §. 22. indigitatum est) nihil exinde præsidij expectandum est Photiniani.

MEMBRUM III. determinans

genuinam sensus hætenus asserti & vindicati (cum Jac. 2)
conciliationem.

v. 24. δικαιούμενοι δωρεὰν τῆ ἀυ
τῆ χάριτι. v. 25. διὰ τῆς πίστεως.
v. 28. πισεὶ χωρὶς ἔργων.

Jac. 2. v. 14. μὴ δύναται ἡ πίστις
σῶσαι αὐτὸν. v. 24. ἐξ ἔργων δι-
καιούται ἄνθρωπος, καὶ ἂν ἐκ πί-
στεως μόνον.

§. 45. Etsi rot classes locorum apparenter contradicentium, constitui possunt, quot causarum justificationem ingredientium genera numerantur, unicus tamen simul causæ efficienti, Gratiæ Dei, & instrumentali Fidei, apparenter contradicentis conciliationem tentare visum fuit, cum reliquorum conciliatio ex præcedentibus hujus Exegeseos membris, ferè sit pervia. Ut autem expediri s progre- di liceat, præmittendæ variæ conciliandi rationes, præst. a ortho- doxa conciliatio subjicienda & confirmanda, atq; eo ipso hetero- doxæ refellendæ.

§. 46. Variæ istæ conciliandi rationes ad seqq. generalia capitula revocari possunt: PRIMA est. Papistarum; Hi pro egregio, quem jactitant, consensu distrahuntur in duas opiniones: Altera est eorum qui asserunt, Paulum loqui de Justificatione prima; Jacobum de secunda. Hanc veluti magis solidam sequitur Salmero Tom. 13. lib. 3. Diss. 28. p. 377 Bellarm. de Verbo Dei l. 1. c. 18. de Justif. l. 1. c. 15. & l. 2. c. 16. & l. 4. c. 18. Greg. de Val T. 2. D. 8. q. 5. p. 4. p. 1319. Paulus, inquit, de prima justificatione loquitur, Jacob. de secunda. qua suscipit incrementum justitiæ per exercitium bonorum operum. Altera est istorum qui contendunt Pauli sententiam non tantum de prima, sed etiam de secunda. quam fingunt, justificatione esse accipiendam h. e. Jacobum loqui de operibus factis in fide; Paulum de operibus que sine fide exhibentur. Ita ex Interpretibus Scripturæ Cornel. à Lap. in c. 5. Gen. p. 166 & Rom. 4. p. 62. & c. 3. v. 28. p. 59. & Cornelij sequax Menoch. in Jac. 2. 23. Estus in Jac. 2. 21. ubi non sine stomacho priorem opinionem rejicit. E. Commentatoribus Thoma Vasquez Tom. 2. in 1. 2. D. 210. c. 8. Greg. de Val. Tom. 2. Diss. 7. q. 6. p. 3. §. 3. col. 994. utrumq; inquit, diversa ratione verum est: Vid. & opera legis præcisè sine relatione ad Christum, ad justitiam non valere quod D. Paulus affirmavit, & cum ea relatione ad eum, cum fide conjuncta valere quod D. Jacob. affirmat. SECUNDA, primæ quam maxime affinis, est Photinianorum: Socini in fragm. de Justif. p. 12. Paulum, qui negat ex operibus nos justificari, considerare opera tanquam meritoria & sua ipsorum vi hominem justificantia & consequenter ejusmodi, quibus si ad præceptum Dei examinarentur, nihil prorsus desit; Jacobum operum nomine intelligere eam obedientiam, sine qua Deus hominem sibi charum habere non vult. Eandem verbis quibusdam saltem mutatis more suo repetit Volkel. lib. 4. c. 3. TERTIA est Remonstrantium in Apol. Exam. Censuræ c. 10.

ve c. 10 p. 113 b His licet circa notionem fidei explicandam & à Pa-
 pisticis & à Photinianis dissentientes videri velint, cum utriusq; tamen
 consentiunt in hoc quod negent, *justificari hinc idem esse ac justum*
declarari. QUARTA potest esse illa, qua verbum justificare eodem
 modo accipitur apud Jacob. & Paulum, ita tamen ut metonymia cau-
 sa pro effectu quaratur in vocabulo operum; ut v. g. cum apud Jac.
 Abrah. dicitur justificatus ex operibus; idem sit cum eo, quod Pau-
 lus asserit: Abraham justificatum esse per fidem. *QUINTA* est or-
 thodoxorum, qua contradictio tollitur diversitate significationis
 monstrata in vocabulo *Justificationis & Fidei*, cujus explicatio-
 nem & vindicationem seq. positioni & conclusioni includo.
Justificari D. Paulo est in conspectu Dei justum reputari;
D. Jacobo, justum declarari; Fides, illi est notitia cum assen-
su & fiducia conjuncta, huic est notitia historica, cum nuda
presumptione & externa professione connexa.

§ 47. Ita fere post Nostrates, Calviniani, Aretius. Polan. lib. 2.
 Synag. c. 36. Pareus in Rom 3. Dub. 9. Rivetus Cathol. Orthod. tract.
 4. q. 11. Charrier. Tom. 3. lib. 22. c. 7. n. 5. & seq. Camero Tom. 2. in
 Mat. b. 18. 1. & summam omnes Ecclesie reformatæ adversus Pon-
 tificios & Socinianos testibus Censoribus Leidensibus in censura Con-
 fession. Remonstrant. c. 10 p. 145. Hanc acceptionis diversitatē probo
 a. ex utriusq; scopi diversitate. Propositum enim fuit D. Paulo à Justi-
 ficationis causis ad effecta descendere, Jacobo, ab effectis ad causas
 ascendere; illi quomodo homo justificatur, huic quomodo justi-
 ficatus declaratur; illi ex serie & sphaera causarum opera excludere;
 huic eadem in censum effectuum admittere, illi derogare opera
 justificandis, huic eadem transcribere justificatis; illi, fidei veræ ju-
 stificandi vim vindicare, huic fidei larvatæ eandem vim denegare.
 Quam scopi diversitatem deduco ex diversitate subjectorum: Illi
 negotium erat cum justitiariis (sicut nobis cum hodiernis Pontificijs)
 non solum pro necessitate operum pugnantis, sed insuper ju-
 stitiam & vitam æternam eisdem adscribentibus, ut patet ex c. 1. 23.
 Huic contra, cum semi Epicuræis Evangelicis, justi iam & salutem
 operibus non saltem detrahentibus sed & eorundem exercitium
 nimis secure negligentibus vid. c. 2. 14. 2. ex diversitate occasionis
 Occasio ap. Jacob. fuit προσηγορία divitis præ paupere, quam
 negat Apost. cum executione legis regie posse consistere, nisi tam
 pauperi

pauperi misericordia quam diviti honor deferatur à v. 1. ad 14.
 quam connexionem non nostrum tantum sed è Papistis Lorinus &
 Estius approbant si ut animadvertit B. Gerbard. lib. 2. Conf. Cath.
 art. 23. c. 3. p. 664. Excel. Dn. D. Huiseman. Diss. 5. Manual. §.
 19. 3. ex analysi speciali c. 2. Jac. Propositio ponitur v. 14. ubi innui-
 tur Jacob. disputare contra fidem non eam, quæ verè est talis de qua
 D. Paul. Rom. 3. v. 25. sed quæ ab hominum opinione suspenditur.
 Dicitur enim expresse v. 14. si fidem dicat aliquis se habere. Conclu-
 sio inferitur v. 26. fidem (scil. à nudo hominum arbitrio & opini-
 one suspensam) esse mortuam; Argumenta sunt petita 1. à Colla-
 tione charitatis, quæ in verbis saltem posita, est omnis efficaciz ex-
 pers v. 15. 16. 2. à negatione attributi veræ fidei competentis v. 18.
 quæ otiosa latere nequit tanquam cadaver ἀεργον 3. ab incom-
 municabilitate v. 19 quæ non nisi in justificados cadit, tantum ab-
 esse ut in Dæmones cadere queat. 4. ab exemplo Abrahæ, solam fidem
 veram esse; quæ est similis fidei Abrahæ. v. 24. Rahab. v. 25. Acce-
 dit 4. testimonium Thoma, qui in com. Jac. 2. agnoscit justificationem
 significare h. l. patefactionem aut declarationem justitiæ, & allegat
 celebrem illam Lomb. regulam alicubi Aug. tributam; quod res
 tunc demum fieri dicatur cum patefit & innotescit. Ex hac confir-
 matione veræ conciliationis CONCLUDO falsas esse reliquas
 conciliationes priores, quippe quæ singulæ iisdem, quibus vera ad-
 struebatur & confirmabatur rationib9, destrui possunt & infirmari.
 48. Ex hætenus proposita Authentica Paulinæ explicatione vindici-
 catione & conciliatione resultat usus I. THEORETICUS prout faci-
 tum ad διδασκαλίαν, revelando triplex γνῶσις ἢ γνῶσις θεῶν ra-
 tione (a) substantiæ & personarum pluralitatis (b) attributorum
 essentialium gratiæ & justitiæ (c) operationum. 2. γνῶσις σεαυτοῦ quoad
 statum Naturæ destitutæ, restitutæ & plenariè restituendæ. 3. γνῶσις χερ-
 σῶν quoad utramq; Naturam, Personam, officium Propheticum et Sa-
 cerdotale: tum ad ἐλεγχον, redarguendo hæreticos triplex illud
 γνῶσις labefactantes II. PRACTICUS Facit enim 1. ad παιδείαν,
 inculcando εὐσεβείαν, erga Deum justificantem, σωφροσύνην erga
 peccatorem justificatum, δικαιοσύνην, erga proximum iisdem justifica-
 tionis beneficijs donatum. 2. ad ἐπανόρθωσιν, excitando detestatio-
 nem ἀσεβείας, ἀκαθαρσίας, ἀδικίας 3. ad ὑδάκνησιν, contra spi-
 rituales hostes à quibus vindicati sumus per redemptionem & justifi-
 cationem in Christo Jesu, cui pro ineffabili justitiæ acquisitiæ
 & applicatiæ beneficio una cum Patre & Spiritu S. sit
 laus & gloria nullis seculis terminanda, Amen.

05 A 1057

ULB Halle 3
003 755 07X



V517

del,





